

699



107  
garbosa de su valor. Combate el  
mas bizarro de su poder. Senten-  
cias todas dignas de San Juan  
Chrisostomo en el sermón se sen-  
ta y siete del nuevo testamento.  
Nuestra Augusta Virgen Muger  
dorada de maravillosas prendas,  
señora de la primera naturaleza  
del Orbe resplandeció tan bien  
toda piedades.

Sobre esta zanja piadosa levã-  
tó la caridad en su pecho tantos  
encendidos afectos de comiserã-  
cion, que la traían por extremo  
ansiosa. Toda era ardides de pie-  
dad. Sus pasos todos se iban azia

empleo. Sus pala-  
bra à este asun-

gravissimas necesidades, libran-  
de muchos trabajos, elculava m-  
chos riesgos, consolaba infir-  
millosos.

Que afficion agena no er-  
herida en su alma? Qualquier del  
consuelo le angustiava el coraçõ  
En la mayor miseria campea ma-  
la Milericordia. Hallase aquella  
en carceles, y hospirales. Y su pie-  
dad apenas salia de los albergues  
de misereros. Es la carcel una ata-  
dura, y custodia publica. Repu-  
tase por un infierno abrebido,  
pielago de calamidades, abismo  
de queixas. Son todos reos, y nin-  
guno se halla  
sin merito. Sus pi-  
consumen sin r-

los trabajos.

El hospital se tiene por el vltimo albergue de necesidades. Asi estan todas las miserias en su estado. En èl era la mayor frecuencia de la Santa Virgen. Acudia à èl quanto le permitian sus obligaciones. Y siempre iba cargada de regalos, y con abundancia de consuelos. Quisiera descomponerse en el remedio de cada enfermo. Miravase esta verdad en la compasion, y afecto, con que los servia, y en la cuydadas ansias de solicitarles todos los oportunos socorros.

Hecha linçe de necesidades las dividava de lexos, y las hallava muy de cerca para el pròto

de la libertat; joya la mano  
ble del Hombre. Entregados à todo el rigor, y fiereça de crueles Enemigos por religion, y naturaleza naufragan en procelas de desgracias.

A violencias de la inhumana ingratitud viben sumergidos en perpetuo chaos de tinieblas. Los cuerpos cargados de hierros, lastimados de cadenas abrumados de tormentos. Los animos crucificados en pasiones, en tristezas, en varios opuestos pensamientos. Los malos tratamientos de aquellos Barbaros crecen gravissimamente la carga, y aun la hazen importable à sus fuerças. Sobre estos crecidissimos

dad no se estrechaba à las carceres, y Hospitales. Ay otras miserias que con el ramal del rubor, y cordeles de la verguença dan mayor garrote. Estas buscaba, azechaba, escudriñaba, con todas las lamparas de la mas flammante caridad. En estas ponía grandemente la confideracon; y en alivio de ellas cargava imponderablemente la mano.

El extremo, y antonomasia de las lástimas, y amarguras es el cautiverio. Es el potro de las mas sētidas penas. Si la paciēcia no acõpañaa es vn laberinto de descõfuesos, tã abultados todos, q̃ no es facil conocer qual es el mastirano, Desnoiados los miseros Cautivos

gro, que amenaza à su flaqueza de apostatar de la verdadera Religion Christiana.

Desde Barcelona oia la Santa los lastimeros queixidos de los atormentados Cautivos. Mirava compasiva estas vrgētissimas necessidades. Quisiera de vngolpe saquear aquellos calabozos, despojar aquellas mazmorras, restituir à su libertad, y Patrias à sus amados Esclavos. Todo lo abraçava su piedad. Pero atendiendo al decoro devido à su sexo, à la quietud, y recogimiento de Religiosa tan opuestos al exercicio de redimir tan suspirado de su Alma, vivia muy afigida. Esta pena la traia bien trabajada.

da la distribuia en limosnas. El valor de quanto se trabajaba en su comunidad lo distribuia en pobres. Era toda caridad, y jamás se fatifacia su amor.

Hizo se Procuradora de necesitados. Panegyrista sagrada de la limosna la ponderaba, la ensalzava con razones, con autoridades de Santos, eõ textos sagrados. En este elegante afecto le bebió todo el espíritu à Sã Pedro Chrysologo. Las voces, y sentencias todas parecian cortadas de vn amoroso mineral. Con sus persuasivas razones, y con su exemplo enternecia los coraçones, juntava grandes limosnas, socorria

con Irequencia, consolava, predicava, socorria, y patrocinava, y à con la interposicion de su grande autoridad, y à con todas las otras diligencias, que pidia la vrgente necessidad.

La enfermedad del cuerpo es vn desconcierto de la proporciõ, y consonancia, que tienen entre si las calidades, que en el residen. Como la salud es vna amenidad de alegrías, y deleytes, la enfermedad su opuesta es vna mar tempestuosa de penas, y de tristezas. Si cae sobre pobreza es vn mundo recopilado de todas las humanas miserias. Esta es el Auguge de las afficciones; pues men-  
guan los remedios quanto mas

C.13. L.4.

MEMORIAL DE LA REYESA DE III. ACIA. ...

C. 13. 1. 4.




PERISTEPHANON,  
SEV DE CORONIS  
SANCTORVM ARAGONIEN-  
fium, vita, morte, miraculis Beati Petri Ar-  
buesi Canonici Cæsaraugustani, &  
7993 primi Inquisitoris.

Libri Quinque.

SANCTISSIMO PATRI  
VRBANO VIII.  
DICATI.

Auctore D. Vincentio Blasco de Lanuza Canonico Pœni-  
tentiario Cæsaraugustanæ Metropolis, Sancti Officij In-  
quisitionis Consultore Theologo, & Hospitalis gene-  
ralis Virginis Mariæ de GRATIA

Rectore.

~~Magistro Jo. Antonio Alberti Bonet Comelita~~  
Carmen  de Huesca

CVM LICENTIA.

CAESARAVGVSTAE, APVD IOANNEM A  
Lanaja & Quartanet Regni Aragonum &  
Vniuersitatis Typographum.

---

ANNO M. DC. XXIII.

THE  
ST  
AND  
THE  
THE



THE  
THE  
THE  
THE  
THE

THE  
THE  
THE  
THE  
THE

A P P R O B A T I O :

**P**eristephanon, seu de Coronis Sanctorum Aragoniensium, vita, morte, & miraculis Sancti Mastrepilæ libros sex, Autore Vincentio Blasco de Lanuza Canonico Pœnitentiario Cæsaraugustano, magno reipublicæ commodo, in lucem prodituros, & maximum decus Aragoniæ Regno (si prælo mandentur) allaturos arbitror. Datum Cæsaraugustanz, Calendis Augusti anno 1623.

*D. Martinus Carrillo Abbas Montis  
Aragonum.*

---

A P P R O B A T I O.

**L**Egi Peristephanon à Vincentio Blasco de Lanuza Theologiæ Doctore Canonico Pœnitentiario Cæsaraugustano elaboratum, & in offenso pertransiui pede, in eo nihil esse arbitror, qui pias aures iure possit offendere, adsunt quamplurima in quibus, & Authoris diligentia, exacta, & sedula veritatis indagatio elucet, & in illa eruenda libratum iudicium. Quare dignum iudico, vt in publicum prodeat ad Aragoniensium Sanctorum gloriam breuiter delineandam. Dat. in Sancti Augustini Cæsaraugustano Conuentu die 3. Augusti anno 1623.

*Fr. Petrus de Alcomeche  
Durandi Antecessor.*

---

A P P R O B A T I O.

**S**Acra Carmina, quæ de Coronis Sanctorum Aragoniensium, pia ac eleganti Musa, Doctor Vincentius Blasco Canonicus Pœnitentiarius Cæsaraugustanus cigneâ voce modulatur, mihi fuere gratissima, atq; meo voto, vtinam Poetæ nostri in similibus argumentis laborent, quibus non oblectari tâtum animi possiat, sed instrui, pietas, & mores inseri, qui nimium exulant ab hoc euo. Dignissima ergo sunt quæ prælo mandentur. Sic sentio in Cœnobio nostro Augustiniano 9. Mensis Augusti 1623.

*Fr. Hieronymus de Aldovera è Monsalve interpres  
Sacræ Theologiæ Vesperarius emeritus, è rerum  
fidei in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, Censor.*

L I C E N T I A.

**R**eligiosus pius, & doctus noster Concanonicus & frater Cæsaraugustan. Dominus Doct̃or Vincentius Blasco, de bono in melius semper studiosè in vinea Dñi, & literaria sacrarũ, & bonarum scientiarum palestra procedens, nunc nouissimè vberriamã musam sectatur in laudem beati Doct̃oris eiusdem nostræ Ecclesiæ Canonici, Petri de Arbues, communi voce, Magistri de Epila, Inquisitoris Apostolici, pro sancto ministerio crudeliter obtruncati. Eius vitam, martyriũ, & diuina gratia miracula, versu canens heroico, Maronis emulatione, & veritate, & utilitate non poetica, quos labores mihi hominis, omni bonitate laudatissimi adiectissimi, licuit, vidisse, & vt rei nõ apud nos vsitata, & historiæ dulcissimæ, & ita nostræ sum nimis perfusus gaudio. Et gratulor martyri materiam, autori laborem, & bonum in Dño omen auguror, lectoribusq; exteris & regnicolis dulcissimam vacationem promito. Cæsaraugustæ 12. Augusti. 1623.

D. Arias de Reynoso Archiepresbyt.

Imprimatur.

*Fr. P. Archiep. Cæsaraug.*

---

**E**X commissione mihi facta ab Excellentissimo Domino D. Ferdinando à Borja militiæ Montehianæ Commendatore maiore, Locūtenente & Capitaneo generali pro sua Maiestate in præsentì Aragonũ Regno, vidi & perlegi Peristephanon, seu de Coronis Sanctorum Aragoniensiũ, vita, morte, miraculis Magistri Petri Arbuesij Villæ de Epila oriundi, ac Cæsaraugustani Canonici, & primi Inquisitoris, Autore D. Vincentio Blasco de Lanuza Canonico Pœnitentiario Cæsaraugustanæ Metropolis, sancti Officij Inquisitionis Qualificatore, & Hospitalis generalis Virginis Mariæ de Gratia Rectore quinque viro, quem librum eruditione plenum iure in lucem prodire debere iudico, vt Deum, quem auctor in sanctis suis mirabilem ostendit, perpetuo laudemus.

Doct̃or Petrus Calistus Ramirez.

V. Sesse R.

BEA-

BEATISSIMO PATRI  
VRBANO VIII.  
ECCLESIAE PONTIFICI  
VERE MAXIMO,  
OPTIMOQUE.

*Doct̃or Vincentius Blascus Canonicus Pœnitentiarius  
Cæsaraugustanus pedes humiliter osculatur, & opus  
Peristephanon offert, dicat, consecratq;.*

**D**Vm tuæ celsitudinis, qua cęleste quod-  
dam numen agis, & caput mundi (bea-  
tissime Pater) à me aliqua ratio habe-  
tur, vereor ad tantã, & tam mirabilem:  
(supremam scilicet in terris maiestatem) litteras  
mittere. Quis enim scribere non metuat ad sum-  
mum Christi Domini vicarium? ad summam to-  
tius Ecclesię, & orbis potestatem, qua reliquos  
mortales superas, quantum sol stellas, vel quantum  
stellę infimi elementi obscuritatem radijs ante-  
cedunt? Sed tamèn singularis quędam nature tuę  
bonitas, publico totius mundi præconio prædica-  
ta, & communi plausu, & gratulatione (quacũquẽ  
patet nomen Christianum) apud summos paritèr,  
atque infimos accepta, tantùm addidit fiducia: vt  
nec ipse infimę penè fortis homo, dubitauerim  
sublimitatem tuam hisce litteris interpellare. Prę-  
sertim autèm initio Põtificatus, in quo gloria tua

præterquam quod nulli non salutaris, omnibus  
gratissima fuit: ut quæ publico omnium bono, Deo  
benè fortunante, contigerit, & in quo negotium  
Canonizationis serui Dei Petri Arbuesi, cogno-  
mento Mastrepilæ Canonici Metropolis Cæsar-  
augustanæ, & primi Inquisitoris Aragonij, adeò  
feruet: ut Reges Catholici, Principes, Regnum Ara-  
goniæ, Inquisitiones eundæ, Metropolis nostra,  
Ciuitas Cæsar Augusta & Confraternitas S. Petri  
Martyris (quæ in hac vrbe est celeberrima) tecum  
de tati viri Canonizatione, adhibitis pientissimis  
viris id ipsum Romæ curantibus; sicuti cū præde-  
cessoribus tuis Paulo V. & Gregorio XV. & pro-  
cessu vitæ, famæ, sanctitatis, & miraculorum eiusdè  
B. Mastrepilæ sedi Apostolicæ oblato, diligenter  
agere, & suppliciter tractare conentur.

Quum ergo dū hæc ageretur, & Gregorij XV.  
iussu Episcopis Tirafoneñ. & Barbastreñ. iudicibus  
ad probationem miraculorum, sepulturæ apertionem,  
& eiusmodi datis, minuta illa duo æra viduæ in  
Gazophilatiū dñi mittere decreuissem, historiam  
scilicet serui Dei Petri Arbuesi vulgaris sermo-  
ne, & soluto scribere, qua gentes nostræ, & latino  
carmine, qua ceteræ nationes fruerentur. Hæc tibi  
beatissime pater mittere, offerre, & dicare visum  
est exquisitissimū, & prorsus necessarium in limine Pōti-  
ficatus (pro quo tibi, tuisq; innumeris virtutibus, &  
Ecclesiæ Dei gratulor) & quo tempore res ageba-  
tur, cuius summā opus ipsū antè oculos: velut spe-  
ctandā proponit, seruata, vbiq; breuitate, & veri-  
tate

*Epistola dedicatoria.*

tate historiae reiectis etiã fabulis poetarũ, tametsi  
versu heroico, & carminum modulatione opus  
vniuersum describatur. Potissimum verò istud  
huic tempori, & nobis maximè quadrat in quo vi-  
cini hæretici contra cultum imaginum, & vene-  
rationem Sanctorum virus euomunt, & effuciant.  
Quos sicut viuens inuictus Christi athleta Petrus  
Arbuesus iuditio, & legum penis torfit: sic nunc  
prodigijs, & miraculis innumeris cultũ, & gloriã  
sanctorum confirmat, quo hostes fidei (si sapiunt  
resipiscant) & ad meliora conuersi lucem, & veri-  
tatem Catholicam complectantur. Mirũ enim  
Beatissime pater, quanta, quotq; miracula in se-  
pulchro istius serui Dei quotidiẽ fiant. Quot mi-  
raculorum insignibus clathra tumuli, quot faci-  
bus, & votis exornentur, quanto populorum con-  
cursu marmora, quot osculis, singultibus, lacri-  
mis, & adorationibus Mausoleum, locusq; in quo  
sanctus homo passus, & in quo conditus iacet ce-  
lebrentur. Priuatus cultus nulli hominum (quod  
sciam) nostra ætate antè Canonizationẽ, seu Bea-  
tificationẽ maior in Hispania datus est. Cæci nãq;  
vident, claudi ambulant muti loquuntur, leprosi  
mundantur. Ad illius sepulchrum paralysis, her-  
nia, tumores, fracturæ, morbi, mors ipsamet fugit,  
demonæ contremiscunt, & tota illorum potestas,  
& insidiæ destruuntur. Omnes illũ Sanctum, Bea-  
tũ, seruum Dei, Martyrem prædicant, venerantur  
adorant. Quo fit vt Hispani populi propè diem  
certò sperent seruum Dei cum vitæ sinceritate,

*Epistola Dedicatoria.*

tum mortis genere, & miraculorum magnitudine  
cælitus iam probatum à, te patre pientissimo, &  
beatissimo in sanctorum numerum referendam. Ad  
quod opus statim peragendum pro singulari erga  
sanctum deuotione his litteris, & libello de illius  
vita, morte, & miraculis conscripto, tuoq; nomini  
consecrato, suppliciter te patrem sanctissimum  
incitare vehementer cupio. Non quod ad illud te  
tua sponte satis propensum esse diffidam: sed ut  
amorem meum, & affectum erga sanctam Dei Ec-  
clesiam, sanctorum cultum, & venerationem, san-  
ctam Sedem Apostolicam (sicut varijs historijs, &  
libris antè peregi) hoc breuissimo poemate, &  
tibi, & Christianis lectoribus quo quomodo tes-  
tificatum relinquerem. Simulque vehementer  
exoptans: ut opusculum quod nomini tuæ sancti-  
tatis dicatum est, cum illius benedictione, & pa-  
trocinio lucem, & prælum videre, & experiri me-  
reatur. Libentius enim legetur ab omnibus, si sum-  
mi Patris, & Pontificis calculo probetur. Sancti-  
tatem tuam vniuersæ Reipub. Christianæ quam  
diutissimè seruet incolumem, florentemq; nobis:  
imò virtutibus: imò fidei, idem qui te donauit  
orbi Christus Opt. Max. Datum Cæsaraugustæ,  
idibus Septemb. anno 1623.



Doctissimis, & Religiosissi-  
mis Patribus Decano, & Capitulari-  
bus Metrop. Cæsaraugustanæ.

D. Vincentius Blascus eiusdem Ecclesiæ Canonicus  
Pœnitentiarius. S.



Vum nuper heroico carmine scripsissem (cla-  
rissimi Patres) serui Dei Petri Arbuesi, no-  
stræ Ecclesiæ Canonici, & primi Inquisito-  
ris, historiam, eandemq; Sanctissimo (ut  
parerat) consecrassem; multæ statim causæ concurrerunt,  
quibus per motus idem opus vobis viris gravissimis, do-  
minisque meis obseruandissimis legendum, & corrigen-  
dum donarem. Primùm quidè quoniam totum opus in  
conscribendis sanctorum nostrorum, & sacræ huius Me-  
tropolis historijs versatur. Ipsum namque Sancti Valerij  
exilium, Vincentij leuitæ sanctissimi martyrium, Innu-  
merabilium martyrum (in quibus maxima pars nostri  
Cleri sinè dubio continebatur) agones depingit, B. Ray-  
mundi, & B. Petri Arbuesi Canonicorum, & S. Domin-  
guiti cantoris victorias, cœlicaq; facta, & mortem præ-  
ciosissimam prosequitur, & varijs poematum, & carmi-  
num generibus modulatur. Secundò verò cui alij donan-  
dum opus erat, quod ipse confecissem, & quod de Sancto-  
rum capitularium Coronis tractabat, nisi eiusdem congre-  
gationis gravissimis patribus, tantorum Heroum succes-  
soribus, & imitatoribus, omniumq; scientiarum, & vir-  
tutum ornamentis singularibus? Quorum nominibus, &  
patro-

patrocinio illud obtulisset vnus ex magistralibus Canonici-  
cis, quem vos ipsi insigni præbenda, & Canoniatu in ce-  
leberrimo doctissimorum hominum concursu, & certami-  
ne decorastis? multisque beneficijs, & honoribus, deinceps  
quotiescunque se occasio obtulit, affecistis? Vt igitur eius  
culpe sin expers, quam illi committere videntur, qui de re-  
ferenda gratia minimum laborant, opus Peristephanon  
grati animi mei futurum pignus sempiternum, & cum  
illo me ipsum offero, conaturus deinceps, ut ingenioli mu-  
nera, donaque maiora quotidie vobis (ut est rationi con-  
sentaneum) offerantur. VALETE.

Cæsaraugustæ Idibus Septembris 1623.



D. D.

D. D. Martini Carrillo Ab-  
batis Montis Aragonum, viri doctif-  
simi in operis, & Autoris com-  
mendationem.

**V** Incenti meritis vatum victure per ævum,  
Carminè qui diuùm facta canendo refers,  
Cum te victorem voluere vocare parentes  
Æternos norunt te meruisse choros.  
Quam dignus lauro! quam dignèserta sacrati  
Mastrepilæ cantu, pectine, mente doces!  
Quam benè laudatur vates, quàm scriptor amandus  
Qui verbo, scriptis, carmine, corde tonat!  
Sumpsisti à domino plectrum, cui cantica pangis,  
Carminè magna dedit, carminè magna facis.  
Perge refer sanctùm placidis celebranda camœnis  
Facta virùm, versus cœlica gesta vehant.  
Magna Poetarum conscripta volumina durant  
In longum tempus, nulla pericla timent.  
Æternos viuunt annos, æternaq; libris  
Gaudia Sanctorum,sertaq; voce sonant.  
Admiror carmen, miror resonantia tantis  
Floribus, & meritis cantica flante lyra.  
Perte Mastrepilam nostrum cognoscet Araxes,  
Euphrates, Sequana, Rhodanus, Almo, Tiberis.

Et septem gelici discent, Petrumq; triones  
Indi cognoscent, Axis uterq; canet.  
Cannonicus fuit, Augusta huius sedis alumnus,  
Sol, radius, lumen, gloria, fama, decus.  
Ipse fuit noster frater, temploque, choroque  
Nominis, atq; habitus, firma columna fuit.  
Ergo pio patri, fratriq; feramus honores  
(Vincenti) immensos: ipse paravit opes.  
Plurima diuino componens cantica Petro  
Gratus eris caelo, gratus erisq; Deo.  
Perge igitur sanctos nostros hoc munere laudis  
Ornatos, tantum nunc tua cimba vehat.

Vincentij Marinerij Poetae clarissimi Valentini  
in laudem operis Epigramma.

**S**urgit opus nitidum caeli diuina per astra  
Materia, & versu, queis vel Apollo subest.  
Nam versum fert Musa sibi, numeroq; repingit  
Materiam, caeli subleuat ipse lepor.  
Stat candore, melos. Parnasi, & culmina verbis:  
Illo namq; viris, verba refusa fluunt.  
Hic charites degunt, fulgentes sedibus altis;  
Hæc quia splendescunt carmina cuncta tribus.  
Audis si strepitum, Blasphus quo personet ingens,  
Threijciam cernes hic resonare lyram.

Ore tumet, verbisque mouet, numeroq; reuincit,

Allicit & calamo, cuncta trahitq; cheli.

Nil poteris, vel si ipse velis, tibi sumere maius

Hoc si vel niueo pectore sumas opus.

Hicq; Maro stat, Naso potens, stat Smirneus Heros

Atq; simul cunctis, hic tibi Blascus adest.

Hoc ergo si cuncta petis, cuncta accipis uno,

Cuncta unus ducit, quæ simul unus habet.

Quæ vates vario Musarum iure dederunt,

Hic uno cunctis præbet ubiq; choro.

In Autoris & operis commendationem Elegi

Hieronimi Vilarij è Societate I E S V.

**M**Etra Sophocleo dignissima Blasce cothurno  
Carmina Apollinea commemoranda cheli.

Ingenij profers partum, non virginis autor

Cæcropiæ similem, mente tonante dedit.

O, ingenium genium redolens, ô mentis acumen

Indulgere volens ingenio, haud genio.

Bella gigantei posses cecinisse duelli,

Sænaq; Pergameis bella timenda focis.

Bella per Aemathios potuisses dicere campos

Sed iam bella canis, carmina bella canens.

Icariam posses penna fulcire ruinam,

Dum tua, Mastrepilam penna sequuta, volat.

Mastre-

*Mastrepilam cantare iuuat hic Blasce camœna  
Inclytus Ausonijs iure magister eris.  
Sic tollis super astra Petrum, sic viuere quiuit  
Conspicuum nomen tempus in omne Petri.  
O Arbuesus rursùm fœlix, qui dignus Homero  
Hoc fuit, Argolium qui superare valet.  
Blasce Peristephanon cantas; diademate lauri  
Impediet pulcher tempora Apollo sacræ.  
Prome triumphales palmas, partosque triumphos,  
Sic te conspicuum palma sequetur ouans.  
Sic tibi Aragonias intèr memorande camœnas  
Irriguis lauros tradet Iberus aquis.  
Heus cane; sic crim<sup>n</sup>e<sup>m</sup> poteris redimire corollis  
Dum diadema canes, tunc diadema feres.*

*Eiusdem Hieronymi Vilarij.*

*C*Armina præmittis pedibus constantia rectis,  
Ut pedibus pernix currere possit opus.  
Nèc solum pedibus, decoras quoq; carmina penna:  
Ut totum mundum peruolitare queant.  
Adiuuat Arbuesus pedibus, pennisque cadentes,  
Tu penna & pedibus carmina Blasce iuuas.  
Ergò currat opus, volitet super æthera velox  
Pes poterit terris currere, penna polis.

MAGISTRI HIERONYMI LA FVENE  
te in laudem operis & Autoris,

EPIGRAMMA.

**O**bstupuit seclum, nomen canit inclyta fama  
Carmina Maronis, Carmina Naso tua  
In quorum scriptis tot falsa, & inania, totq;  
Incerta inuenies, queis ego nulla fides.  
At tu Blasce canis Sanctorum facta virorum  
Facta canis nostri martyris atq; fidem.  
Te celebrem reddet, totum tua fama per orbem  
Omnibus atq; alijs dignior historia.  
Vtq; opus à cunctis omni laudabitur æuo  
Versus sic laudes angulus omnis habet.  
Perage neque tua interitura Encomia crede,  
Exitium rebus cum feret una dies.



Magistri Marci Antonij Salazar Epigramma in  
operis, & Autoris laudem.

**Q**uis nisi Vincentis dulci Vincentius Alter,  
Gesta Boaturus Carmine Homerus erat?  
Martyris inuicti canere, & Gestamina, Cui  
Rettulit? excimij Vatis opima nisi?  
Altifono Herois facta & celebrare Maroni,  
Cui quoque deuictæ gentis, & arma licet?  
Pumicet Euterpe quare niueam tibi chartam,  
Hinc calamos Cliq; aptet amæna suos:  
Edito Vincenti numeris monimenta Philetæ,  
Ingenij (ascreos qui bibis) alta tui:  
Que nec liuor edax, obliuio iniqua, vetustas,  
Castalio absumat tecta perindè grege:  
Conde noue Amphion mellito carmine Thebas,  
Treijcia Arbuesum pange, cane atq; Petrum.  
Namq; Meleteas sapiunt tua iudice charta  
Scripta Nouem, manant Gorgoneo, atq; choro:  
Nil ineis fucum redolet, Panchaia, amurcam,  
Hic suaue exhalat, fragrat Hymetus & hic:  
Batiades cultus, Graius, Romanus & unquam,  
Tyresias oculis, sic tulit, orbis ait:  
Virgilium decori Augustum celebrasse Cremonæ,  
Peliden Smirnæ Meonidenq; siet:  
Eximie laudi Patriæ, Celti & quoq; Iberis  
Vincenti dabitur, te cecinisse tuos.



# IN LIBROS PERISTEPHANON

SEV DE CORONIS SANCTO-  
RVM ARAGONIENSIVM, ET

de vita, morte, miraculis serui Dei Petri Ar-  
buesi Canonici Cæsaraugustani, &  
primi Inquisitoris.

## P R Æ F A T I O.

**I**AM dudum historijs Carolum, Regesq;  
Philippos  
Occidui Regni dominos, & lumina mūdi,

Templa Dei matris, Sanctorum tempora, vitas,  
Cælica facta, quibus famam super æthera tollunt  
Gallicus horrendus ripis, cursuque tremendus,  
Turia flexiuagus, grauis Orba, biceps & Aragon,  
Et totiens cantatus aquarum rector Iberus,  
Conscripsi fateor, numerosos condere versus  
Oblitus, prosæ contentus legibus artis.

At nunc omnipotens, rerumq; immensa potestas  
Summe pater, qui solus agis mirabile quoduis,  
Cogere multiuagam decreui in carmina mentem,  
Facta Aragoniadum virtutes,serta, coronas,

A

Fælices

Fœlices mores, pugnas, tormenta, triumphos  
 Hymnisonis cantare modis, plectroque sonanti.  
 Insuper altisonis, operoso stamine filis  
 Ingenium fratris, mentem, miracula, mortem,  
 Martyrium Petri Arbuesi (quem patria lingua  
 Mastrepilam sanctum dixit, cognomine ducto  
 Mitibus ab studijs, Epilæque ab origine gentis)  
 Nam iudex fidei datus, & patronus Iberis  
 Isacidum contra morbos, gentesque feroces  
 Hæresens peste infectas, truculenta, rebellis  
 Hunc odijs Iudea cohors sectatur acerbis,  
 (Victa fremens, multumque pauens sub iudice tanto)  
 Tentans mille modis, tandem violentè adorta  
 Insignem pietate virum, dum fundere vota  
 In medio templi nostri curaret, atroci  
 Corripuit ferro, sacrum per vulnera fundens  
 Corporis Arbuesi patris periura cruorem.  
 Purpureo donèc fuso de corpore riuo,  
 Puluerulenta soli facies madefacta liquore  
 Ad cælos missit conspersas sanguine voces,  
 Atque quoad martyr: mitis ceu laniger agnus,  
 Pro hostibus exorans onerauerat æthera votis,  
 Repleratque alti precibus palatia cæli.

Hoc mihi nunc studium, sententia, cura, laborque  
 Ingenium, & tempus sanctis sacrare, Deoque,

Mastre-

Mastrepilam cantu reſono celebrare; tamèſi  
 Pſalmiſtæ hoc chordis fuerat modulabile carmen.

Quod ſi forſan in his raucus, tarduſque videbor  
 Det veniam quicumque legit ( ſi quis tamèn unquàm  
 Iſtius eſt lector libri ) reſ ipſa nitoris  
 Impatiens. Quoniàm ſunt multa vocabula noſtris,  
 Horrent quæ verſus modulos, legeſque recuſant.

Adde quod ambages vatum figmenta priorum,  
 Numina falſa, Lares ſtygios, Heliconis alumnaſ,  
 Vipereasque canes, furias, Hecatēque triformem,  
 Naiades æquoreas, ſummis in montibus ortas,  
 Et cultas Driades, comptas, vel Oreades omnes  
 Reſpuimus. Noſtris atq; ablegamus ab oris  
 Parnaſum, Muſas, teneros modulamine cantus  
 ( Figmenta hæc quamvis ſoleant augere canora  
 Carmina, clamoræ & limata pœmata lingua )  
 Inſupèr & quidquid magnis reſonare cothurnis  
 Olim grandiloqui falſo ſtuduerè Poetæ,  
 Qui inflatis buccis ſtillant mendacia biblis,  
 Et preſſis ſpirant conſictas follibus auras.

Altitonans ergo pater, & ſpes unica mundi,  
 Qui ſtellas radijs, & terras frugibus implet,  
 Nunc facilem curſum tribues, verbiſque lucernam  
 Nunc pedibus lucere meis; ut carminis autor  
 Magnificus vehemens, puroque ſimillimus auro

Fundere opes possim, complere, & mercibus aures,  
 Venifluis sensus, mentesque rigare fluentis.  
 Virgo decens sine labe nitens, nunc inclyta Virgo  
 Aurea syderei mater veneranda Tonantis,  
 Huc adsis, nostrum refouens miserata laborem,  
 Hinc canere incipiam. Faustos ad vestra volanti  
 Sidera per scopulos, per totq; pericula, cursus  
 Addite cœlicolæ, magnasq; in carmina vires  
 Reddite. Nunc zephiri, ut veniant ad vela secūdi,  
 Et possit confracta ratis vasta equora sulcis,  
 Barbitos, & tenuis cœlos transcurrere cantu.

De Coronis Sanctorum Aragoniensium.

LIBER PRIMVS.

**H**esperia populis ( pars non in gloria quondam )  
 Vrbs antiqua fuit, multo quam prisca vetustas  
 A sale Saldubam dixit. Nam terra salinas  
 Ingentes habet, & puri, salsique saporis  
 Excelsos montes, & saxa minantia ventis  
 Verticeque astrigero summos lambentia cœlos.  
 Caesaris Augustam nostri dixere deinceps :  
 Augustus quoniam muris & honoribus illam  
 Cinxerat, & nostræ fortune principis huius

Auspicijs, donisque fuere insignitè auctæ:  
 Quòd nobis veluti mensi nomenque, decusque  
 Et pacem, requiemque dedit, ciuilia bella  
 Concutiens, gladios vertens in vomera sæuos.

Est regio omniparens, diues, fructuque benigna  
 Terraque frugiferis fœlix, & nobilis agris,  
 Quæ Orbæ vorticibus fruitur, limphisque Salonis.

Amplexata tuos passim quoque Ibere liquores  
 Floribus ornatur, florumque coloribus arua  
 Rident, ludit ager, pratis datur aurea virtus,

Transit in æstatem messis veneranda quotannis,  
 Frumenta in viridi stipula prædulcia crescunt,  
 Et turgent fructu. Rerum est opulentia grandis  
 Sparsa per Augustos fruges vberima campos.

Hanc primum tenuere viri, quos dura pyrenes  
 Progenit, misit grauidas quos semine terras  
 Quærere, quum populis inuentis quærcus aristis  
 Desijt hybernas glandes dare, pascere vaccis.

Celtaq; mox tenuit Gallus, commixtus Iberis,  
 Acres concordi iungentes fœdere curas.

Ambitio creuit, cepitque mouere tumultus  
 Indomitos inter lybios, gentesque latinas,  
 Magna quibus rigidos, planosq; Hispania campos  
 Præbuit ad pugnam, longos passura dolores.

Inde Numantini strepitus, finisque Sagunti,

## 6 De Coronis Sanctorum

Et bella, & belli rabies, discorsque duellum.  
 Sed postquam vicit Romana potentia, tandem  
 (Maximus Hespericis cessans Viriatus ab armis)  
 Nostrates subiecti bello haesere Latinis,  
 Tempore quo luxit pietas, & lumina terris  
 Caelica luxerunt, gentes mersere lauachro  
 Corpora baptismi, & Christum SALDVBA recepit,  
 Ad leges translata Dei, sanctique Iacobi  
 Subscribens dictis, complexa est dogma salutis.  
 Nec dubium SALDVBA potens, tunc mole sub ista  
 Nostra satis regio faelix, & firma fuisset,  
 Ni effera relligio gentis, Martisque, Iouisque,  
 Totaque tartarei pestis commota baratri,  
 Et sponsam Christi diuino sanguine partam,  
 Atque urbem nostram multos vexare per annos  
 Curasset. Dirus nigranti turbine nimbus,  
 Vberior solito fluitanti hoc tempore praecipit  
 Persequitur iustos. Noua fert minitanti grando  
 Fulmina, & insanis quatitur pia cimba procellis.  
 Nam clamore ferox Datianus anhelat atroci  
 Te, mundumque optans stygijs submittere claustris.  
 Hinc tua Vincenti fluxit laus, gloria, caelum,  
 Qui ignitas crates fers, verbera, prunas,  
 Igniuomum ferrum, dentatas pectinis ungues,  
 Diraque tormenta inferno fabrefacta profundo,

Magna

Magnas lethæo referens ex hoste coronas.  
 Hinc leuita sacer multis SALDVBA tropheis  
 Gaudet, & hoc templum nostrum tam sidera vincit,  
 Quantum lux tenebras, solis vel lumina noctes.  
 Hinc patria Osca nitet Sertoria nomine quondam,  
 Plusquam Luna poli fulget regina bicornis,  
 Magna parens Solis radios imitata micantes.

Inde Valere pater, Præsul, venerande sacerdos,  
 Urbem qui Augustam, rebus, bellisque potentem,  
 Qui ingenio validas gentes, armisque feroces  
 Docturus sumpsisti onus, & dignissimus Urbis,  
 Pastor eras nostræ, quum iam admiranda senectus,  
 Tunc senio curuata graui, certamen obire  
 Nomine pro Christi Domini, suscipere dolores  
 Martyrij voluit (socio discriminis huius  
 Leuita forti) quæ tempta ut debilis, exul  
 Mittitur ad gentes: cæcas Pietasque nephando  
 Pellitur exilio. Præsul de sinibus actus  
 SALDVBAE, montes repetit, syluasque latentes  
 Permeat. Et veniens nebulosi ad fluminis oras,  
 Lætatus puris lucenti gurgite limphis,  
 Contentus recubans viridi super aggere ripæ,  
 Diuertebat apud superos, languebat amore  
 Cælesti totus, diuinas pectore gestans  
 Flammæ, & sacros modulatus vocibus hymnos,

Anetum coluit, cingæque rapacis arenas.  
 Hic ubi cælestes moriens in pace triumphos  
 Post clades tantas, post totque tyrannidis iras,  
 Inuenit sublimi sede beandus Olympi.

Quid moror? Encratidis tunc & constantia luxit,  
 Cum socijs venerata Deum, Christumque sequuta,  
 Martyrio insigni. Lamberti martyris inde  
 Cognita clara fides, qui effuso sanguine vitam  
 Perdidit, & niuea gladio ceruice reuulsum,  
 Assumpsit caput ipse suum, gradiensque propinquum  
 Attulit in campum, quo tunc concisa iacebant  
 Encratidis pectus tenerum, tum corpora sancti  
 Urbani, Fausti, Frontonis, siue Luperci,  
 Optati, Iulij, Publij, Felicis, & in quo  
 Innumerum Massæ resident, & plurima diuûm  
 Pignora, sub templo celebri conclusa decentèr  
 In oculis: tanquam gentis tutamen, & urbis.  
 Nam quum Christicolas Datiani horrenda tyrannis,  
 Infrænis rabies, seuo fraudata veneno,  
 Martyrio truncare fero, vel sanguine sacro  
 Et vita viduare simul genus omne nequisset:  
 Christiadam sitiens ut tigris acerba cruorem,  
 Decreuit toruus versuto callidus astu,  
 Vulgare edictum, populus quo noster abire  
 Immunis posset, quò vellet, dummodò iunctus



Salduba muros linquat, portasque patentes  
 Exeat, aut ſupplex veneretur numina falſa,  
 Gentibus admixtus, fœlixque quieſcat in urbe.  
 Quo vix audito Chriſti plebs, ſancta, fidelis  
 Gentiles ritus horrens, & languida diuûm  
 Falſorum portenta ſimul, tunc mœnia linquit  
 Et patrios campos; ſectetur ut integra Chriſtum:  
 Nobilis, & plebes nuſquàm numerabile vulgus,  
 Vel numero compar, quo cœlum pingitur aſtris,  
 Vel quibus albescit pelagus ſpumantibus undis,  
 Aut quibus implentur reſonantia littora conchis,  
 Seû quibus inſtillant nigrantia nubila guttis.  
 At ubi compertum Auguſtam liquiſſe fideles,  
 Impius armatis præſes magno impete turmis  
 Ite, ait, & Chriſti cultores cœdite ferro,  
 Illorum abſcedat nullus nece liber, ad unum  
 Cœdantur cuncti. Mòx ignis corpora truncis  
 Sontibus admixta exurens, incendia flammis  
 Et vento valido motas, ad celfa fauillas  
 Et cineres mittant. Chriſti nè fortè ſequaces  
 Reliquijs poſſint de more impendere honores.  
 Omnipotens tamèn inſontes à ſontibus egit  
 Tunc cineres. Sanctos demùm irrorare pruinis,  
 In ſacroſq; globos illos, maſſasque micantes  
 Vertere decernit, quò gens electa piorum

Corpora sanctorum teneat tum pignora adoret:  
 Scilicet umbrosis ubi multis fulta columnis  
 Cripta patet celebris, diuorum sacra sepulchris.  
 Quæ & si fumificis incendia pascat in antris,  
 Tegmina sub terra splendent; sic concaua fulgent,  
 Ut stellis cælum pictis, & sidera vincant.  
 Hic ubi mille solum, pariesque, lapisque, laterque  
 Oscula mille habuit: dum plebs curuatur ad omnes  
 Diuum cum lachrimis, & cum singultibus aras,  
 Qui fera fallacis superarunt prælia mundi  
 Nomine pro Christi. Olim me cecinisse recordor  
 Martyria illorum, resonans encomia versu  
 Tactis arguta chordis testudine Sapphus.

Sic fortis Romæ imperium, sic inclyta quondam,  
 Sic potuit vexare pios, sic impia legum  
 Sæua triumphatis populis dare iura tyrannis.

Et veluti natura potens, florente iuuenta,  
 Languorum causas pellit, vel robore multo  
 Exuperat morbos, senio at defessa fatiscit:  
 Sic quoque bellipotens Cæsar florentibus annis  
 Dum æqua gerit, rectam librat dum pondere lancem,  
 Imperij gentes potuerunt arma superbi  
 Vincere, & hostiles terra substernere colles,  
 Pannonas, Gallos, Celtas, Persasque, Scithasque,  
 Hesperios, Partos, Dacos, populosque Iugurthæ

Magnanimosque duces Pœnũm, dirumque tyrannum  
Indocilem pacis, cunctas qui abſorperat iras,  
Et fuit immanis, triftisque ruina Sagunti  
Infrænare. Genus Gothicum quaſſata caduco  
Urbs ſenio, prorsũs neruoſam oblita iuuentam,  
Vincere non potuit, durum viſura duellum:  
Dum Gothus eſuriens rigidos aquilonis opaci  
Deſpexit flatus, terras tũm meſſibus orbas  
Oblitus patrias, armisque indutus acerbis  
Transit in Europam, longè, lateque per orbem  
Diffuſus mutauit agros, gentesque Latinas  
Deuicit. Celeris Rhodani, fluctusque Garumnae  
Calcavit lætus, Celſos tranſiit & Alpes  
Armatus, longo incumbens ceruicibus æuo  
Italia. Donec gens hæc furibunda cucurrit  
Fortis in Hispanos (ubi terra eſt vltima) campos.  
Indomitos ergo bellis, armisque ſuperbos  
Noſtra Gothos habuit primos Hispania Reges,  
Romanis victis, multo qui milite fractas  
Vandalicis ferro terras, terſere procellis.  
Allanos vicere duces, vicere feroces  
Hunnorum turmas, duros vicere Sueuos,  
Finibus à noſtris multo luctamine pulſos.  
Caſtra igitur fuluis populorum plena metallis,  
Regum multorum ſubſtantia, parta per Orbem

Præda Gothis fuit, atque argenti pondera massæ.  
 Si quid Iberus habet, rapidi si protulit auri  
 Vnda Tagi quicquam, Sicoris vel corniger amnis,  
 Hespericos intèr, placidis, qui labitur undis,  
 Id servant regum tentoria pulchra Gothorum.  
 Succumbitque orbis, luget spoliatus. At illi  
 Deuictis læti populis, sceptrisque fruuntur.  
 Hesperia ergo iugum detrectat nostra Latinum  
 Et leges Gothicas complexa, & fœdera pacis,  
 Gente sub hac vitam lætam post bella futuram  
 Credidit, & multo confractam turbine subdit  
 Victorum sceptris. Nec spes concepta fefellit.  
 Iudicium haudquaquam fallax. Hispania namque  
 Gentibus à multis, multos regnata per annos  
 Tunc demùm commixta Gothis, victura feroces  
 Europæ populos, gentes victura per orbem,  
 Per mare, per terras spacia, & per longa viarum  
 Innumeris demensa locis, queis distat uterque  
 Torridus à gelido, à nostro ille antarticus axis.  
 Sic gentes doctura fidem, sic pascere mundum  
 Doctrina, & verbis domini, sic semine vitæ  
 Incultas quascunq; videt Sol spargere terras.  
 Hispanis ergò bellis imponere finem  
 Tunc libuit pacem, & proprijs immittere tectis.  
 Pax fuit, & pulchra in nostras venerabilis ædes

Exultans venit, longum ſeruanda per æuum,  
 Floribus innumeris, comptis redimita capillis  
 Inſtillans placidos per rura, per arua colores,  
 Aureaque Hesperijs radiantia lilia terris,  
 Purpureasq; roſas plantans, plantaria claris  
 Concors depingens, radijs lucentia multis.  
 Hinc Iſidore Pater, Doct̃or, magnuſq; Sacerdos,  
 Qui puer ingenuas artes, & utramque mineruam  
 Doct̃us, perfidiam calcas, ſigmenta refellis  
 Hæreſis horriſonæ: ceu gloria temporis huius  
 Cognitus, & terris multum laudatus, & aſtris.  
 Hinc patres ſancti Fulgentius, atque Leander  
 Fluxit & Alſonſus, quo non eſt Sanctior alter.  
 Hinc SALDVBA tui Paſtores Taio, Ioannes,  
 Et decus immenſum nulli pietate ſecundum,  
 Et Pater, & Præſul noſtræ celeberrimus Urbis  
 Braulio defluxit, qui tam ſuperare coæuos,  
 Luna poteſt quantum ſtellas, & flumina quantum  
 Pontus, vel quantum Sol ſidera lumine præſtat.  
 Nec te Victoriâne Pater, nemoroſaque tempe,  
 Aſſanios montes, ſyluaſq; & luſtra ferarum,  
 Et ſpecus, & fontes, & plenos fructibus hortos,  
 Fructeta, & pomis, pulchris viridaria Calthis,  
 Clauſtra bonæ famæ, molles redolentia odores,  
 Cælitibus, templis, populis miranda. Fluentis

Doctrinae, vitae, exempli, virtutis, honoris  
 Grata, quibus caelum repleas, & maxima mitris  
 Tempora reformasti, tenuis nec prandia mensae,  
 Instructos verbo monachos, miracula multa  
 Nunc referam Referam magnum nec nomine sanctum  
 Gaudosum Asanij montis consortia nactum,  
 Qui in terris positus; dum nil mortalia curat  
 Turiasonis ei oblatum diadema, pedumq;  
 Multaque dum vixit, moriens miracula multa  
 Perfecit diuinus homo, gratissimus astris.  
 Augustae colles igitur celebrate propinquis  
 Festaque & incensis sacris solemnitè aris  
 Nunc animos, & corda dicite, altaria, cantus,  
 Pyramides, vestes, arcus, fulgentia templa  
 Patribus his nostris (nec fas hoc carmine diuos  
 Quos SALDVBA parens genuit concludere cunctos:  
 Quum careant numero) haec tantum nunc pagina sanctos  
 Plus canit illustres. Nec mens illi omnia fandi  
 Plurima venturis post se scribenda relinquens.  
 Nunc igitur cessent calami. Nam magnus ab austro  
 Armorum strepitus resonat. Nimbusque tremendus  
 Torporem cantu impertit, gelidosq; timores,  
 Alligat & mentem, diuulso robore, praecipit.  
 Ergo nunc cantus valeat, nunc carmina ductis  
 Per girum pedibus valeant. Namq; Organa muta,  
 Auribus, & surdae citharae iacuere, reclusis.

# PERISTEPHANON

SEV DE CORONIS SANCTO-  
RVM ARAGONIENSIVM, ET

de vita, morte, miraculis serui Dei Petri Ar-

buesi Canonici Cæsaraugustani, &

primi Inquisitoris.

## LIBER SECVNDVS.

**R**osequar historiam somno viduatus inertii  
Christe hominũ, diuũmq; pater nũc adijce vires  
Confractos senio remos ad littora tuta  
Ducito, tranquillos portus, certamq; quietem.  
Fas erat euentus genti sperare Gothorum,  
Post clades tantas, post tanta pericula belli,  
Post leges validas, post equaque iura quietos.  
Sed postquam Gothici deponunt arma manipuli,  
Hesperias fortuna volens affligere gentes  
Excitat infandum genus, & tam tempora dura  
Instillant infesta agris mortalibus astra:  
Vt tantum fugisse necem, victoria summa  
Esse putaretur, summos resecasse dolores,  
Vrbibus ammissis, nemoroso monte capellas  
Frendipetas cursu celeri, damasq; fugaces,

Auritos

Auritos lepores sectari, & vertice celso  
 Nullus ubi vixit. Seù vastis saltibus ardor  
 Solis ubi nullus fuerat, vel lumina, condi.  
 Tunc etenim patrijs egressus finibus Afer,  
 Maurica progenies, stigijs generata cauernis,  
 Noxia Christicolis; qualis nec fusa diebus  
 Antiquis tam dira lues. Tunc Africa linquens  
 Littora in Hispanos præceps transiuerat agros.  
 Colluuijs heù tanta hominum saturanda per omnes  
 Irruit in nostras nudatas mœnibus vrbes.  
 Hesperios igitur populos furialibus armis  
 Deuastat, vicos, arces, rura, oppida, campos.  
 Armatas acies equitum, peditumque falanges  
 Egressus laniat: longa ut ieiunia passus  
 Vrsus oues, agnosque lupus, tum armenta leones,  
 Heu scelus infandum! infandos Hispania mores,  
 Delicias faciles complexa, & marcida luxu  
 Ocia, turrigenas imbellis perdidit vrbes,  
 Trunca iacens. Tanto iam vix in corpore flatus  
 Palpitat, & reliquos vltrix mors occupat artus.  
 Tunc patriæ perit omne decus, tunc arua natarunt  
 Sanguine nostratum. Totius funere mundi  
 Mortibus innumeris orbes perijsse putasses.  
 Nulla loci facies extat, viduata cruore  
 Hesperico, tumulis repleuit cuncta cadauer,



Corporaq; excelsos cumulis æquantia colles,  
 Obuia cernuntur: telo ut perfixa pavoris  
 Mens hominum titubet, conterrita sanguinis undis.

Quid moror? illustres radicibus eruta ab imis  
 Excidium passæ horrendum conspeximus urbes  
 Æquatasque solo plures, vestigia quarum  
 Nulla; sed his nostris iam res ignota diebus.

In columnes aliæ remanent sub numine Christi,  
 Qui eruit ex grauibus miseratus tempora bellis.

Tanta ergo illius Maurum SALDVBA repente,  
 Ut torrens qui saxa rotat, qui gurgite, & undis  
 Sternit agros, sternit frumenta boumq; labores,  
 Turbidus abrasit subitis. Concuribus: ipse  
 Sic furiatus Arabs, factis, bellisq; superbus,  
 Atq; pharetrigeris excurrens cuncta maniplis  
 Imposuit nostris (heu quam miserabile tempus)  
 Tunc leges duras, duris cernicibus arces,  
 Seruiliq; iugo pressit sublimia corda.

Sacra tacent, deflet terra, & sacraria, luctu  
 Exanimi gemuere homines, arx nostra nefandis  
 Ritibus inseruit, fulgenti & clerus amictu  
 Discissus reticet, mærenti pectine cantum  
 In lachrimas vertens. Resonant singultibus aures,  
 Augenturq; malis oculorum flumina multis.  
 Causa mali stuprum; quod Rex Rodericus amoris

Impatiens stulti, pudibundaq; lumina Cauæ  
 Exarsit, tentans fumosis perdere flammis.  
 Hinc vindicta mali causa, & sentina malorum  
 Multorum fuit. Hinc violentas transit in iras  
 Rumor, & horribilis protervæ infamia Cauæ,  
 Dedecus æternum titulis paritura Gothorum.  
 Horrida Magmedis hinc gens truculenta superbit  
 Dispergens bello totum Phlegetonta per auras.  
 Regna, domos, arces, populos & templa profanus  
 A Ponto Herculeo conculcans usq; Pyrenem.  
 Interea dominus postquam respexit alumnos,  
 Cultores Christi tot damna ob crimina passos  
 Insignes titulis populos, & milite quondam,  
 Atque armis celebres, quibus olim bellica virtus  
 Diuitias dederat, pulchros & gramine colles  
 Imperio calcare suo, compescere ferro.  
 Vidit ut ætherea cæli regnator ab arce  
 Celtica nostratum bona cuncta in Maurica duci  
 Castra, ut Christigenum vidit iam tecta nefandis  
 Subverti bellis, quod non sit præda superstes,  
 Maurorum turmas rursùm que in prælia ducat  
 Tunc pater æternus succensus pectus amore  
 Decreuit SALDVBA tuos solarier orbos,  
 Augusta q; urbis partem tibi munit, & aulam  
 Illæsam seruat Mariæ mortalibus agris

Munificæ, matrisque Dei primordia sæcli:  
 Necnon Massarum congesta ex pulvere frusta,  
 Candida Chrisolitos, rutilosq; imitata pyropos  
 Sanctorum innumerum afflictæ solamina gentis,  
 Mozarabis servata nitent, tot cripta sepulchris  
 Ornata, immunis superest sub nomine Christi.

Nec moror, omnipotens nostros miseratus, & omnes  
 Quos cæli iam cura tenet, quibus atq; dolores  
 Implerant oculos, lachrimisq; rigantibus ora,  
 Pœnituit quos dulce malum admisisse, reduxit  
 In mentem sanam, rectas diuina secures  
 Detinet intinctas sententia. Gratia culpas  
 Delet. Deletur prorsus lachrimabile crimen:  
 Pœnituit quoniam illius. Cantaber, & Astur,  
 Et multi ex Celtis, (multi quos alta Pyrenes  
 Progenuit, SALDVBA ferax antiquaq; mater  
 Martyris ARBVESI patris Seconcia, dicta  
 Nunc Epila illustris, riuusq; superba Salonis.  
 Osaq; Laurenti patria, vrbs & Iacca salubris,  
 Bilbilis, & reliquæ, sunt nunc quæ Aragonia Regnū)  
 Incolumes remanent. Multi quibus illa pepercit  
 Sæua lues. Ipsæ gentes, quæ à stirpe Gothorum  
 Progenitæ (patria amissa) cœu naufraga plæbes,  
 Absconsæ latuere prius, fugere deinceps:  
 Ac veluti celeres nebulosa cacumina montis

( Accipiter si urget ) conscendunt summa palumbes,  
 Corniger & ceruus, latratu territus, alta  
 Culmina perlustrat, dumeta obscura requirens:  
 Sic fuga nostrates præceps conscendere cogit  
 Nubiferi Panni usque apices, fastigia montis  
 Vruelis celsi, quò mens diuina reduxit  
 Reliquias populi, iam concessurus in æuum  
 Præsidium regno illorum longæuiq; sceptræ;  
 Arma tremenda feris Mauris, Orbique tremenda,  
 Clara per Hesperios quâ vel Tagus alluit agros,  
 Turia quâ ora rigat, longo vel semina cursu  
 Almoq; Migdonia, & Ligurum contermina Tarrus,  
 Clara per Italiam, Sardos domitura, Calabros,  
 Defensura domos, & Regna Neapolis olim,  
 Atque Afros, Gallos, Nigros domitura vel Indos:  
 Nunc quamuis positis lateant in saltibus armis.

Celtiber intereà longo venerabilis æuo  
 Moribus insignis, Senio admirandus inermi,  
 Exemplo vitæ, & fama super æthera clarus  
 Bencius antistes SALDVBAE in celsa Pyrenes  
 (Quò Ripacorza ferox cælos atque astra cœquat,  
 Vallis & umbrosis antris munita retexit  
 Aediculam Sancti Petri, quæ anfractibus altis  
 Fulva occultatur, quamquam sit mœnibus orba  
 Tellus, turrigeris saxis tantum hospita multis)

Transfert

Transfert diuorum radiantia pignora ſignis,  
 Atque habitauit ibi donèc translatus Olympum  
 Iuit & ad cœli ſummos tranſiuit honores.  
 Intereâ Urbicius Compluto ſacra Nocitum  
 ( Et rabiem Mauri fugiens, & crimina multa,  
 Tàm multas hominum ſtrages, & funera, cædes )  
 Tranſtulit & Iuſti, & Paſtoris corpora fratrum,  
 Reliquias ſacras ( partem nunc Gallica Narbo,  
 Complutum partem tenet, Oſca & corpus utrumq; )  
 Non curauit opes hominum commercia fugit,  
 Et latuit ſyluis urſa comitatus atroci :  
 Sylueſtres ( res mira ) ferae venerantur, adorant  
 Urbicium ſanctum. Tantas ne innoxia vires  
 Mens habet ? illa poteſt diros mollire leones,  
 Carniuoros urſos, & ſæua animantia bruta.

Ergo Senex ſanctus quærit dùm ſydera ſupplex  
 Quæque decent ſanctam, decoctam ætate ſenectam  
 Poſtremos flatus media concludit heremo,  
 Templo ubi fulgenti illius nunc oſſa quieſcunt.  
 Gens ſed Maurorum nondùm contenta cruore  
 Hispano, volitans pernici ad pabula curſu  
 Gallica, perlustrans montes, duramq; pyrenem  
 Excurrens totam, peruênit in fluminis Oras  
 Præcipitis Vaſæ, noſter quâ Gallicus undis,  
 Murmure grandifono, plectriſq; loquacibus inſtans,

Et lapides nitidos infectos sanguine diuūm,  
 Et sacros fluctus, Vaseq; undantis arenas  
 Sorbet, & horrendis saxosus voluit in vlnis.  
 Huc ergo venere duces, Muzæque ferocis  
 Armatae turmæ, peditumq; equitumq; falanges,  
 Tempore quò Eurosia (è cælo velut aurea Nimpha,  
 Vt fulgens radius, lux ut diffusa per auras)  
 Virgo Boema, cui forma & Rachelea venustas  
 Contigerat, Regi Hispano iungenda marito,  
 Obuia tunc Mauris Vase peruenit ad oras:  
 Vt quando celeres, calidæ & pulmone columbæ  
 Occurrunt aquilis, mitis vel cerua leoni:  
 Sic Maurum turmæ comites laniare Boemæ  
 Virginis, & stricto miles mucrone secare.  
 Iamq; acres tendunt arcus, agmenque faretræ  
 Mittunt, lethiferis undans tunc aura sagittis,  
 Turbaque truncatur, retonat mons totus equorum  
 Hinnitu, clamore virum, clangore tubarum.  
 Cultores Christi nullo discrimine mortem  
 Eurosiæ hortatu domini pro lege subire  
 Desiderant omnes. Offertur victima passim.  
 Cæde solum, cæde arma rubent, & sanguine cuncta.  
 Opplentur montes immitis mortis acervis.  
 Consilij princeps Cornelius instat, Acisclus  
 Præsul Virginei custos, monitorque pudoris,

Sanctus homo hortatur cunctos, consortia diuūm  
 Reſpiciant. Hodie menſa cœnabimur vna.  
 Hoc genere ( aiebat ) mortis veniemus ad aſtra.  
 Mox execta ſeni ceruix, iuueniq; pubenti,  
 Et ſcandunt cœlos vectæ ſuper æthera mentes,  
 Corpora dùm rubeo iacuere in ſanguine trunca.  
 Hortatrix virgo princeps ( Regina futura  
 Heſperia, tempus, ſi vel fortuna tuliffet )  
 Dilecti fratris morti, patruique ſuperſtes,  
 Euroſia immanes carpit Machometis alumnos,  
 Prædicat atque fidem Chriſti, Palatia temnit,  
 Ac Reges, Regumq; Duces, & maxima regna  
 Deſpicit, & rapidos, quos dux conceperat ignes.  
 Corpus ei tenerum. Verum inſuperabile pectus  
 Enſes deriſit : ponti ceu murmura littus,  
 Mons magnus ventos, cautes vt ſaxea nimbos.  
 Ergo dum ſtolidi furias deriſit amantiſ  
 In fauces gladio, immiſſoq; in guttura ferro  
 Imuulgabat adhuc Chriſtum, ſumptoq; volatu  
 Cœlica victricem tulit ad comuiuia palmam.  
 Angelicas voces, plenas concentibus auras  
 Audiuit tellus, cœlos tunc vertice ab alto  
 Euroſiæ exequias plectro celebrasse ſuaui.  
 Aſt Maurus putris, ſignis conterritus, arma  
 Projicit, & rapido fugiens ad tegmina curſu,

Vertit præcipitem, cæca formidine ductus,  
 Per prærupta fugam, atq; per amplos transijt agros.  
 Hinc factus peior, furij agitatus, & Orco  
 Descendit Tebram, valles descendit ad imas.  
 Excelsos montes planat cum mœnibus arces,  
 Tempia, domos, urbes vastat terrasq; perurit.  
 Millia tot Maurum, quot aues vix æra circum  
 Quot freta transcurreunt pisces, quot murmura fontes,  
 Nil Veriti euertunt populos, ferroq; vagantes,  
 Ignis ut in stipulis fumans, atque æra lambens,  
 Eleuat audaces flammæ cœloque minatur,  
 Corripiens sylvas, totas quas torridus ussit.  
 Sed tandem Eurosiæ corpus, quod sanguine rubrum  
 Expositum nimbis iacuit sine honore relictum,  
 Pastori virgo monstrat post tempora multa  
 Cœlitus, atque ab eo fuerunt translata decentèr  
 Pignora in illustrem templis, & mœnibus urbem  
 Iaccensem, multis ubi mirabunda coruscant  
 Prodigijs, populisque pijs venerata quiescunt.

Hæc inter SALDVBA gemit, lugetq; subacta,  
 Respicit ut positas Gothicis ceruicibus arces,  
 Nudatos ducibus populos, viduata nitore  
 Tempia Dei sacraria tot quassata ruinis.

Quid captiua potens olim, nunc Principe sæuo  
 Subdita desideret? fletu repetenda tepenti



Sors antiqua venit, flendumque Hispanica Regna,  
 Luxuriam vitijs varijs vertiſſe ſuperbam.  
 Quosque viros non ira fremens non Troica Roma,  
 Quos gladius rigidus, nunquam quos belliger enſis  
 Cedere compulerat, conducto milite putrem  
 Amplexu multoque mero flexiſſe madentes,  
 Hiſque tuliffe Gothiſ nostris moderamina Regnum  
 Tunc armis doluit. Sic gens captiua rubore  
 Suffuſa impatiens. Tortor metus, incubat exlex,  
 Regnat edax macies, damno comes addita grandi.  
 Otus erat tunc Salduba, vir ſanguine clarus,  
 Gloria Chriſtiadum, populi noſtratiſ honorque  
 Muzarabos inter, fortis qui turbine nimbi  
 Et damno triſtiſ, turbatam fletibus urbem  
 Spectat, & ancipiti mentem formidine verſat.  
 Eleuat immerſum luctu caput, omnia functa,  
 Aut moritura videt, noſtros nocteſque dieſque  
 Mors manet, imbrifero pallens Machometuſ hiatu.  
 Quapropter fortuna grauiſ dum iactat Iberos  
 In longum tempus, ſylvaſ, vaſtoſque recessuſ  
 Conſcendit diuiniſ homo, ceruumque fugacem  
 Offendit Panni ſaxoſi in culmine montiſ,  
 Cuiuſ ſurgebant ramoſo à vertice in auraſ  
 Cornua viuaciſ. Paſcens ſed margine rupiſ  
 Audito à longè ſonitu, ceruice leuata

Stare pauidus sensu, & fugibundus lumina figit  
 Multifida, ac rectas in frontem dirigit aures.  
 Quum cupidus prædæ iuuenis calcaria prescit  
 Otus equo insiliens, subito & sectatur anhelus  
 Alipedem quamuis, telis cursuq; fatigans.  
 It præceps sonipes, montes hinnitibus implet,  
 Feruidus, atque celer, strictæ contemptor habenæ  
 Cornigerum sequitur, vincitq; ardore volucres.  
 Nec potuit quadrupes nota intrâ tectâ reduci  
 Precipiti cursu & telis percussus ahenis.  
 Huc illuc trepidantèr hians, per devia currens,  
 Nubiferi Panni prærupta cacumina montis  
 Absq; alis volat, usque ima ad fundamina saxi,  
 Plusve, minusve vlnas centum: ceu plumbea moles  
 Cum stridore ruit, latè sonat undique bombus,  
 Et complosa tonant saxa. Atque attrita repandis  
 Saltibus ossa crepant cerui, truncumque cadauer,  
 Contritum multo tellurem sanguine tingit.  
 Peruolitabat equus, multo velocior Austro  
 Post ceruum, (leuibus velut alis) impete cæco,  
 Peruenit in saltum, quum iam ruiturus ad ima  
 Implumis, nanti similis, distentus in auras:  
 Orantem diuos, tendentem ad sidera palmas  
 Assumpsit tremulus solidata in brachia ventus  
 Naturam contrâ, & suspendit in aera lapsum

Imperio domini, mortemq; minantia ſaxa,  
 Concludunt extrema pedum, plantasque volucres  
 Fortis equi tenuere arctis ( mirabile dictu )  
 Cippis, queis Otus potuit ſubductus in altum  
 Pinniferi montis culmen, miracula cæli,  
 Tot mala, tot caſus, penſare pericula, culpas  
 Atque animi morbos deſlere, & temnere mundum  
 Tot ſignis, miraculis tot mollita voluntas.  
 Queis Otus immerſus curis, indagine multa  
 Circuit aſtriferos apices, & quærit anhelans  
 Quâ poſſit reptans montis deſcendere collem.  
 Difficilis deſcenſus erat, facilisque ruine,  
 Syluoſus latè dumis, atque arbore clauſus,  
 Horridus, umbroſus, viridis quem ſylua tegebat,  
 Atque frequens trabibus, nullus quas abſcidit enſis.  
 Sic tacitus ſaltus inter reptare ſilentes  
 Cepit & ambages duro compeſcere ferro.  
 Fronduit hic denſo criſtata cacumine buxus,  
 Et ſuccinta comas viridans, & nautica pinus.  
 Ergo per anguſtos ( tonſis hinc inde rubetis )  
 Tranſiuit calles, magnum peruenit ad antrum  
 Et ſpecoris magni portas ubi ſanguine cerui,  
 Lapsi per ſcopulos, undabat terra fluentis,  
 Et clari laticis, rutilis vel fontibus, unda.  
 Hic ubi ſub ſpecubus cæcis habitarat heremi

Cultor Ataresius, tunc raptus ad astra Ioannes,  
 Sanctus homo, cuius conspecto corpore, diuus  
 Non potuit lachrimas oculis retinere subortas;  
 Sed longum mollis fletum mens traxit in horas,  
 Dum corpus sacrum fossis tumulauit arenis.  
 Quo facto cepit valido clamore, piisque  
 Cœlicolum pulsare preces, & numina, votis,  
 Vrgere, & tales effundere in æthera voces.  
 Omnipotens æterne Deus regnator olympi,  
 Altitonans pater, atque hominum, rerumq; creator,  
 Vera Dei proles, Verbumque orbisque Redemptor,  
 Qui mundum nutu, & radiantia sidera torques,  
 Iam miserere mei, supplex tua munera poscit  
 Otus peccator, mentem sensumque labantem  
 Confirma: ut tecum maneat. Quod sustinet Orbis  
 Dispereat totum mihi. Sit tua sancta voluntas  
 Regula factorum tandem suprema meorum.  
 Caesaris Augustæ patriæ conuiuia, luxus  
 Nunc fugiam, flebo maculas, deflebo reatus.  
 Sanctificat mentes locus hic, noua corda, nouosque  
 Influit affectus. Sunt hic plantaria cœli  
 Simplicis, & vitæ iugis custodia sacra.  
 Hoc dixit. Surgitque ex templo & culmina montis  
 Aerij Panni linquit. Descendit ad agros  
 Mox SALDVBA tuos. Fletus, lachrimasq; reuisit  
 Captivæ

Captivæ gentis, cleri, populique dolores.  
 Distribuit bona, res omnes, ſepta, arua domoſque  
 Vendere curavit, magno ſuccurrere damno,  
 Auxilioque leuare viros, remque addere nudis,  
 Et dare pauperibus Chriſti quæcunque tenebat,  
 Ducere Felicem fratrem, uſque ad murmura fontis  
 Patris Atareſij, lapidoſaque ad antra Ioannis.  
 Huc ergo veniunt, vitæ ſancire quietæ  
 Leges, mente Deum tota, conamine toto,  
 Toto animo amplecti dominum, ſequi, amare, vereri,  
 Atque bonos monitus, ieiunia cœlica, mores  
 Cœlituum, ſublime genus, conſortia diuum,  
 Seq; ſuperuacuis quærentes ſoluere curis.  
 Indè monaſterium paruum, tenuesque caſellas  
 Principio ædificant: velut arcta ergaſtula vinclis,  
 Vel potius cæcis gurguſtia clauſa cauernis,  
 Conſona Iuſtorum factis, & commoda Vitæ.  
 Incipiuntque ſuos paulo poſt ſpargere fructus,  
 Fama volans celebris reboat, reſonatque per antra,  
 Per latebras migrat, ſaxoſaq; tegmina plectit.  
 Quosque pauor trepidus, ſæui quos fulminis ictus  
 Condere compulerat triſtes ſub quercubus atris,  
 Quos gladius belli rigidus concluſerat antris  
 Chriſtigenæ veniunt, concurrunt agmine multo  
 Reliquiæ Gothicæ, noſtratum ſumma ſuperſtes

Ad placidos fontes ad dulcia concaua Panni,  
 Fons ubi per pulcher, nitidisque argenteus undis,  
 Muscosoque situ frondes, riuique sonantes,  
 Et specus horrendum, & celsi spiracula cæli,  
 Consilium ut poscant. Bellum ne? aut turpia pacis  
 Fœdera firmare, & Mauris pro tempore colla  
 Subdere, sit melius? nam exordia ubique pauoris,  
 Luctus ubique fremunt, fugiendaq; mortis imago.  
 Sanctus uterque patrum concordifœdere primùm  
 Compositas iungunt fœlici in pace cohortes,  
 Mox animant verbis, præconia laudis adire  
 Concupiant, sumant vindictam, bella sequantur.  
 Nec mora, conuicti monitis, ardore triumphum,  
 Et zelo fidei illecti, & dulcedine laudis  
 Instituunt leges, Regem, mox arma capessunt,  
 Eijciunt Mauros victos de montibus altis  
 Viribus instructi. Totamque deinde Pyrenem  
 Subijciunt Christo. Munitam mœnibus urbem  
 Iaccensem capiunt, Barbastrum, florida multa  
 Oppida conquirunt, longum subiecta per æuum,  
 Per longum tempus. Multis nam distulit annis  
 Nostratum fortuna grauis, captiuæque Mauris  
 Annis tercentum centum si junxeris annos,  
 Per centena quater deducens secla. Deinceps  
 Calcatur Maurum impietas. Et barbara sensim

Agmina vincuntur. Deletur Punica pestis  
 Arcibus eiecta excelsis, depulsaque septis.  
 Impiger & miles noster descendit in urbes  
 Maiorum (Maurus, miseranda sorte subactas,  
 Quas tenuit) soluens ferratos compede duro  
 Christigenas, diris etiã sacraria vinculis.  
 Ergo triumphali hoc æni redimita corona  
 Rege fruebatur Petro, discincta catenis  
 Osca Nunillonis, tum Alodæ conspersa cruore  
 Virgineo. Patientia cui vel Orentius olim  
 Leuitam genuit magnum, qui ex arbore lauro  
 Nomen habet, passum quem seua incendia Romæ  
 Magnanimum, fortemq; beat super æthera Christus  
 Cui dedit Auxinum patrem, qui solis ab ortu  
 Dicitur Orentius: astrorum cœlum lumina fulget.  
 Sanctus uterque parens, & natus sanctus uterque,  
 Miraculis celebres multis, quorum annua festa  
 Christicolæ accensis recinunt solemnitè aris.  
 Sic quoque nostratum felix Exea, Taustum,  
 Et Turiaso nitens Atilane, Prudente, Ramundo,  
 Bilbilis Enneco illustris, quo leta triumphat,  
 Agno Gallurum, celsum Benabarre Medardo,  
 Cerdano Gradus, Floriano parua Vielsa,  
 Missorioque Buerda, Arnulpho Roda, Valero &  
 Raymundo patribus, Millano terra Brigegi,

Et

*Et Iacca Eurosia, insignisq; Loharre Demetro  
Libera sunt unclis, campis potiuntur apertis,  
Exemptæ laqueis iam libertatis alumnae.*

*Cæsaris Vrbs, sed enim iam diu calcata pudendis  
Maurorum sceptris, diris subiecta tyrannis  
Excruciatu adhuc, & tristis pectora prensat.  
Plena malis, armis, Mauris, & milite duro  
Vix halitu gaudet. Retinet sitibunda futuri  
Euentus, quamquam spes tunc incerta fatiget.*

*Gallicus artonitus spectat, prospectat Iberus  
Muzarabes fluij, sicoris tacet, Orba tacetq;  
Abscondens fluctus foueis summersa relictos.  
Non resonant fremitu, voces nèc ripa canoras  
Intonat, & fusos riuus pudibunda liquores  
Claudere concupijt. Puduit detergere mensas  
Maurorum. Puduit Machometis spargere terras  
Dulcifluis undis. Fructus sulcantis aratri  
Reddere tunc puduit, riuisq; augere colonos.*

Finis libri secundi Peristephanon.



PERISTEPHANON  
 SEV DE CORONIS SANCTO-  
 RVM ARAGONIENSIVM, ET  
 de vita, morte, miraculis serui Dei Petri Ar-  
 buefi Canonici Cæsaraugustani, &  
 primi Inquisitoris.

LIBER TERTIVS.

**D**E functo Petro Alfonso, quo fortior alter  
 Non fuit in regno Hesperico bellator, & armis  
 Cùm Magno Carolo, forti tum Cæsare maior,  
 Qui indomitos Arabum valido conamine Reges  
 Magnanimus vicit, nudavitq; urbibus. Urbes  
 Milite nudavit, priuavitq; arcibus. Arces  
 Præsidio ingenti viduat, tum milite forti,  
 Qui gentis nostræ replet loca celsa, viasque:  
 Ipse pius veniens princeps maturus ad annos  
 Ætatis fortes, & pro lanugine barbam  
 Flauentem incipiens mento proferre, Ramiro  
 Et Petro minor, at belli munimine, & armis  
 Ille sequens ausis proavos, sub principe fratre  
 Est solitus semper primas ductare cohortes,  
 Finitimos Machometis alumnos frangere ferro,

Semper & hespericos, amplos quæcunq; per agros,  
 Nostratum quondam antiqui ammissere parentes  
 (Casibus attriti varijs) pensare triumphis.  
 Ergo dispersos Aragonica in arua maniplos  
 Saldubam transfert (comitantibus ordine turmis)  
 Flammani deuectus equo, quem frena gubernant  
 Fulgida, spectandusque super radiantibus armis.  
 Illum belligeræ sectantur mille falanges  
 Ducentes validas instructo milite gentes,  
 Quæ lateri accingunt gladios, & baltea leuo  
 Iungunt, formoso meditantés bella rotatu.  
 Quæ iaculis pugnant, fundas, volucresque sagittas  
 In pharetris miseris figendas hostibus aptant.  
 Dirigit Alphonsus turmas, disponit in omnes  
 Urbis per girum partes, quibus aggere multo  
 Congeritur tellus: utque omni ex parte reclusus  
 Attentare fugam nequeat solertior hostis.  
 Spesque audaxque simul Maurum fiducia vana  
 Tollatur Regis venturi. Nam Africa turpis  
 Alphonsi ad dextram trepidat, Tenuisque fugatur,  
 Exhorrent, turpique fugæ dant terga cohortes,  
 Dum sonat Alfonsi nomen, dum fama volucris.  
 Quo factò Salduba ferox stupefacta cruentis  
 Christiadum ducibus, magno bellique paratu,  
 Tam subito est percussa metu ut nec summere dextra

Arma queat, mentis nec compos ſcandere muros,  
 Aut pharetras aptare feris, aut tela ſagittis.  
 Defendat patriam dubitans, pacem ne reſcat,  
 Seque ultrò Alfonſo dedat, aut magno impete factò  
 Irruat in noſtros, ſubitis in curſibus uſa?  
 Vicit amor patriæ cepitq; caleſcere virtus.  
 Mœnibus inſiliunt celeres, iuuenesque, ſeneſque,  
 Durus Arabs, Maurusque ferox, iaciuntque ſagittas;  
 Atque acres tendunt, flexosque à cornibus arcus.  
 Hinc atque indè volant hæſte, crepitantq; per auras  
 Lethifere glandes: lapidoſæ grandinis inſtar.  
 Alfonſus princeps ſed enim ſe parcius infert,  
 Continet atq; manus, nequando pugna, laborque,  
 Aut crebro iactu vires fundantur inani.  
 Cura tamèn vallo, foffis, & milite multo  
 Saldubæ muros, portasq; occludere circum  
 Mœnia, & armatis turmis circundare giro.  
 Hæc intèr verò, ne quo languore moretur  
 Fortunam. Quidquid Saldubæ è finibus uſquam  
 Conſpicit, immiſſo primum diſperdere ferro  
 Mandat, & extremum bellis ſeruare laborem  
 Cæſaris Auguſtam, nomen, celebrataq; Regis  
 Seruet ubi virtus manſuram in ſæcula laudem.  
 At Maurus titubat tremulus, desperat & omnes  
 Credit tam crebro impulſu euaneſcere muros.

Iam iam Christigenas portas intrare patentes  
 Credit, & extimuit non posse reclusa tueri  
 Menia. Iam armatis superest audacia nullis.  
 Iam conferre palam vires, distringere ferrum  
 Nulli animus. Pacem sed tantum & foedera pacis  
 Querere ab Alfonso inuicto, cui iura quotannis  
 Ut Regi, & domino soluant. Res venit in aures  
 Inuicti Regis, tacitus quam contulit inter  
 Praecipuos gentis ductores, inter amicos,  
 Quos nouit fortes animo, atque indagine rerum  
 Illustres, socios quos magna pericula bellum  
 Nominis, & fama dederant, quos arma tremenda  
 Victores Maurum, tulerant super aethera, & orbes.  
 Hoc unum monuit Regem super omnia. Mauris  
 Parcere subiectis, potuit mollire repente  
 Mite ducis pectus, templis succurrere tantis  
 Numinis aeterni, & sacros seruare recessus  
 Incolumes. Seruare Augustam Caesaris urbem,  
 Vallatam muris, munitam mœnibus altis,  
 Turribus ornatam multis, & pondere rerum  
 Aeternum Regni culmen, caputq; futuram.

Ergo Maurorum varijs gens fracta periclis  
 Tunc supplex, humilis, manibusque in celsa supinis  
 Christigenas inter victura in secula multa  
 Pars tandem subijt seruatorum in gloria leges,

Quæ pacem petijt, partem vel funera ſorbent,  
 Pars tentata flagris magnum diſſuſa per orbem,  
 Non numeranda fugit: velut ales flammiger albos  
 Si roſtro inuadat ripis Aragonis olvres,  
 Accipiterve alta trepidantes rupe columbas,  
 Deſicit ignaum ut vulgus, gens tota per auras,  
 Hinc inde iratis volitans ut guttula ventis.

Alſonſus princeps igitur bellator & armis,  
 Et bellis notus ſuper æthera, & aſtra: triumphans  
 Cæſaris Auguſtam celebrandam viribus urbem  
 Intrat & horrendas, fortesque in bella falanges  
 Immittit muris, replet loca celfa maniplis,  
 Per turres validas ſpargit, per tecta cohortes  
 Inſtructas armis, vario munimine ferri.

Sicq; pius princeps, patrum documenta ſequutus,  
 Vix urbis portas intrarat, & amnis Iberi  
 Auriferi pontem celfum tranſarat anhelans;  
 Tempſa Dei matris, diuûm Maſſaſq; micantes,  
 Reliquias patrum quando perlustrat, & ambit,  
 Regine cæli templo ſacrare Deoque  
 Munera largifluus, quæ vel ſors ipſa ferebat  
 Maſſarum ſacris templis, aditiſq; vetuſtis  
 Conceſſit diuûm, ſupero dans pectora Regi.

Deniq; Metropolitim noſtram, venerabile templum  
 (Quod nunc Auguſtum fulget, renouauit, & Orbi

Christi adum dedit. Ipsa quidem Mezquita suprema  
 Sordibus infandis fuerat maculata Mahome.  
 Tempore sic primo benedicta spargere limpha,  
 Rore nouare pio, & sacro perfundere rore,  
 Ritibus horrendis, & felle piare nigranti  
 Tunc decuit. Sarcire nephas, tunc ire pudendas  
 Detersum maculas, sordes tot pellere templo.  
 Mox summam sedem statuit, legitque, deditque  
 Augustum Mansum, præbendas, vasa, ministros,  
 Tecta, Sacerdotes, prouentus, prædia, vestes  
 Arte laboratas, ostroque, auroque nitentes.  
 Hec sacra bellator rectori templa locauit  
 Cælorum Christo domino, Regi que potenti,  
 Catholici cætus mores, legemque, fidemque  
 Latura æternos cælo & per sæcula ritus.

Electus primus Præsul lectissimus inter  
 Christicolas Petrus Librana, exordia magnæ  
 Metropolis meritis, exemplo, moribus, arte  
 Laudibus innumeris aucturus. Victima prima  
 Cælitibus numeranda venit Raymundus honoris,  
 Et fame culmen, Barbastri pastor, & ampla  
 Principio templi præbenda, mole sub ista  
 Donatus, proceres inter numeratus, & inter  
 Cannonicos (fas si quicquam coniungere verbis  
 Nunc nobis: antiqui olim ut fecere coacti

Reliquias Danaum, dum religiosaq; dicunt )  
 Ipse pater Sauros Raymundus pertulit hostes,  
 Barastro eiectus, Rodæ moderamina templi  
 Contentus tenuit, miraculis clarus olympum  
 Conscendit, Rodæ & conuentu in pace quiescens  
 Patronum populi, incensis solemniter aris,  
 Conclamant, laudant, recolunt, venerantur, adorāt.  
 Hæc igitur sedes, magnum, & mirabile templum  
 Hoc æui exultans cepit fulgescere sanctis  
 Cætibus. Esse ferax frugum materq; virorum  
 Sanctorum. Postquam perpulchris aucta columnis  
 Argento, & spolijs celebris (quæ protinus ipse  
 Vertit in excelsæ molis Rex tecta tonanti)  
 Sacra, Sacerdotes, mensas, altaria, ritus,  
 Reliquias diuûm, tenuitq; sacella, chorosq;  
 Hanc sibi saluator legit, quo nomine templum  
 Et titulo constructum est. Hanc sibi vendicat arcem  
 Rex Gothicæ gentis, seu princeps Hermenegildus  
 Martyr. Et Oscenses leuitæ, Aragonia Regnum  
 Martyrio quorum (non tantum armisque, forisque.)  
 Irradiat mundo, velut admirabile sidus.  
 Iustæ & Rufinæ domus ista, placetq; tenello  
 Domingo puero, sancto quo martyre quondam  
 Illustres SALDVBA tuos humescere campos  
 Sanguine vidisti. Nec displicet illa Valero

Pastori nostro, fulgentia pignora quorum  
 Auro pallenti, & gemmis conclusa nitescunt:  
 Ut cælum facibus, vel Luna quæ imagine solis  
 Crebro percussa, exultat radiantibus alis.

Est Petro Arbueso arx hæc admirabilis urna,  
 Qua veneranda piæ conduntur viscera patris  
 In medio templi gelido sub marmore grandi,  
 Interfectus ubi fueratq; ubi sanguinis eius  
 Vnda fluens voces magnas ad sidera baubans  
 Feruida bulliuit. Fallax ubi turba rebellis  
 Gens recutita, ferox, periura superba, maligna  
 Inque odium fidei truncavit pessima sanctum.  
 Hoc mihi nunc carmen. Cantabo pectine tangens  
 Arbuesi laudes molli, magnalia Petri  
 Intendens chartis, nitidisque insculpere libris.  
 Alme pater rerum, motus, cæliq; rotatus  
 Legibus æternis voluuntur numine cuius,  
 Voluitur & grandis vertigine concita moles,  
 Pondusque immensum, & socialis machina mundi,  
 Quem cælum, & quidquid cæli nunc tegmina giro  
 Concludunt, quidquid tellus, pontusque crearunt,  
 Quem chorus Astrorum, venti, Sol, menstrua Luna,  
 Quem freta, quem curuis turgentia flumina ripis,  
 Prose quisque tremat, pro se quodcunque tremiscit,  
 Summe Deus succurre, age rector maxime rerum



Ad famulum demitte tuum nunc lumina ( quamquã  
Sordibus implexus nullo ſit robore dignus ).

Aspice conſtructos ad tot myſteria cantus,  
Deſeſſum vatem, quaſſatum ætate, ſenemque.

Confractum plectrum, fortes in cantica vires

Adiſce cunctipotens, maiores adiſce nervos.

Bellator poſtquam ( media iam abeunte inuenta )

Infælix calcat viridantia littora Cingæ,

Et Fragæ ad ſcopulos torquens incautus arenas,

Ceditur infando caſu, Rex optimus ipſe;

Metropolis pacem tenuit, redimita capillos

Ipſa venit noſtros pax iam miſerata labores,

Explicuit pennas, riuus immitis Iberi

Allatura dies claros, noctesque, tenebris

Depulſis, riſu miſcere, & cuncta coruſcis

Solibus ornare. Aurifera perfundere luce

Urbes, teſta, domos, mentes, turgentia corda,

Conuentus ſacros & relligioſa virorum

Templa Sacerdotum, cætus, populoſque nitenti

Doctrinæ, & vitæ exemplo ſacrare perenni.

Ad ſtudia è bellis, & ad ocia grata camenis

Venimus, exultant montes, telluſque fluentis

Patris Iberi augetur. Lilia grata leguntur,

Iam meſſor ſpiciſ gaudet, iam vinitor vuis.

Pax regnat, potior multis pax una triumphis,

In longum tempus fertur victura per agros  
 Nostratum, Alfonsi fruges, plantaria, tempe  
 Seruatura dies multos, cultura salutem  
 Sanguine maiorum, bellis, armisque paratam.  
 Hæcque fide illustres inspersas sanguine diuūm  
 Vrbes compleuit sanctis, & gratia Christi  
 Sanctos ornauit gemmis, pugneque tropheis.  
 Præmia virtutum dantur, mox gloria cæli  
 Angelicis comitata choris per secula seclūm.  
 Omnia templa vigent Regni (cæu vinea lecta)  
 Vrbs omnis floret. De te Salduba, tuaque  
 Metropoli fluxere rosæ, mollesque Hiacinti,  
 Hinc violæ splendent, hinc candida lilia fulgent.  
 Hinc docti, hinc sancti, hinc legū, morumque Magistri  
 Mitrati patres, hinc cælica turba priorum.  
 Hinc lapides nitidi radiant, gemmaeque micantes,  
 E gremio fluxere tuo. Tum maximus ille  
 Arbuesus scandit martyr, super astra triumphans,  
 Purpureo cuius radias gemmata cruore.

Tempus erat quando sol iam transfegerat annos  
 Quadraginta quatercentos post mille duosque,  
 Et totidem æstates siccauerat igneus æstu  
 Frugiferas messes, totidem area frugibus usa.  
 Autumnus totidem mæstus viduauerat hortos  
 Frondibus, & folijs, terras viridantibus herbis.

Bruma ferox totidem tulit intractabilis imbres  
Ipsa feros. Totiens venit fusura decorem  
Montano vento, gelidum, quem torua Pyrenes  
Mittit in Augustos horrendo turbine campos.  
Vere nouo totiens tellus tepesacta calenti,  
Rore colorata est. Totiensque nouata coruscis  
Floribus, & granis. Totiens intincta colore  
Pandere arua sinus. Totiensque, tepentibus auris,  
Ad postes nostros nidum suspendit hirundo,  
Garrulaq;, ad campos nostros infauista colubris,  
Hospita peruenit peregrina ciconia noctu.  
Quum inter nostrates antiqua Seconcia terras,  
Molles cantati ad ripas constructa Salonis,  
Epila post dicta, immutato nomine prisco,  
Et Rege Alfonso Machometis libera uinclis,  
Turribus, ac muris circumvallata uetustis,  
Nobilibus faelix dominis, & fertilis agris,  
Munera, & omniferos terrae fusura nitores,  
Frugum altrix, diuumque parens, faecunda uirorum,  
Mastrepilam sanctum genuit, quod rector Olympi  
Languenti mundo postremo tempore sidus  
Concessit. Genuitque alios Seconcia multos,  
Et celebres tulit ipsa uiros, armisque, togaque,  
Et uerbo, & uersu claros, studiisque Mineruae  
Egregios. Instar quorum Mastrepila noster

Nunc

Nunc erit. Immensum patriæ lumenque, decusque.  
 Quem Epila nascentem vidit, nutriuit, eumque  
 Audiuit teneros fundentem ad inania fletus,  
 Et flentem in dulces pellexit carmine risus,  
 Plena corallifluis distillans ubera labris.  
 Patricio est Petrus genere ortus, sanguine eorum,  
 Quos Arago armipotens fidalgos (nobile germen)  
 Maiorum reboat titulis, & stirpe superbos.

Principio ad lucem vix dum peruenerat infans  
 Christi adum ritu, cepit lustralia fontis  
 Stagna sacri. Mundatum mox rubigine culpe  
 Dixerunt Petrum, nomen posuere parentes  
 Pastoris Petri Sancti, qui retia liquit  
 Recturus domini cymbam, post tempora Christi;  
 Ut mundus miles solidata in pectora surgens,  
 Pontificis primi teneat nomenque, fidemque  
 Martirio ut celebri tandem; ceu petra refulgens  
 Cælestis patriæ gemmis numerandus adesset,  
 Ad fabricas templi æterni soliumque tonantis.  
 Vix igitur cunas euaserat ipse soporas,  
 Transierat pannos fragilibusque infantia molles.  
 Atque puer fandi ad dulces peruenerat annos;  
 Nempe triennalis dum currit amabilis ætas,  
 Aut quinquennalis, sensus dum plusve, minusve  
 Spectat discendos apices, elementaq; prima

Sputis conſpurcat multis, & ſcindere chartas,  
 Aut plorans, ludensque trochis diſperdere diſcit.  
 Tempus erat quando præcepta docere ſalutis  
 Et norma vitæ venit formabile germen,  
 Quum primum decuit firmare hanc robore mentem,  
 Quòd multum intererit, quibus artibus, & quibus illã  
 Moribus inſtituant, qua cura & laude parentes  
 Informent ſobolem: ut cum iam matura recurſet  
 Antiquos mores, memor & tam flexilis æui,  
 Quæ puer amplexus fuerat, quem mobilis ætas  
 Cervici aſſuerat, tenero & ſubnectere collo,  
 Illa eadem ſumptis quærat molimina pennis.

Ergo Petrum puerum pietas doctura parentum,  
 In primis orare Deum, docuitq; per aras  
 Curvatis genibus diuûm ſpectare figuras,  
 Magna Pæſtinae repetens primordia matris  
 (Quæ tenuit nullas lux immaculata nephandi  
 Peccati nebulas, poſt, nec vel origine prima)  
 Ingeſſit pietas patrum teſtetur ieſum.  
 Præcipit, & mandat ſupplex altaria Chriſti,  
 Diuinum pneuma, & numen genitoris adoret,  
 Percutiat pectus, ſignet frontem, & prece blanda  
 Subſidium poſcat contra acres demonis auſus,  
 Illecebras contra & mundi contagia prauis.  
 Non trahat in rixas pueros, nec fallere quemquam

Audeat

Audeat, infestus nulli, mendacia quæque  
 Horreat, & mores prauos virtutis alumnus.  
 Addebant stygios amnes, tormenta, Cathenas,  
 Venturumque diem, quo mundus & æthera quondam  
 Ignibus urantur, flammisq; cumentur amaris,  
 Quo iudex veniet supremus, quo horrida rursùm  
 Corpora suscipiant animos, vitamq; nouandam  
 Tempus ad æternum, quò cælo & sede fruantur  
 Æterna iusti, reprobi teterrima flagra,  
 Dum Deus æternus duret, patiantur, & ignes.  
 Nate dies venient (dicebant) queis sine mente  
 Mortales, quo stare loco, quo tendere possint  
 Ignari, finisq; instantis imagine fracti,  
 Signorumque metu, sine sensu, & mente ferantur  
 Audax, & timidus, iuuenisq; senexq; tremendis  
 Attriti signis, mortis formidine torti.  
 Talibus imbutus præceptis Petrus inertes  
 Infantum mores, ludos, puerilia, risus  
 Contempsit, forti mentis conamine pensans,  
 Et versans animo vigili documenta parentum,  
 Iàm fortes sensim maturus venit in annos.  
 Sic vitam celebrem à Senio cepisse videtur,  
 Dum sequitur pueri auriferos infantia mores,  
 Ante diem tractans viuacia facta senectæ,  
 Sanctorumque vias carpens: vestigia fratrum.

Nil leue, nil iuuenile ſapit, nil officit ætas,  
 Nulla nocent Petro Arbueſo morboſa iuuentæ  
 Probra veneniferis mundi ſociata colubris.  
 Ante diem cepit iuuenis caneſcere ſenſu,  
 Moribus, ingenio, ſtudijs, virtute, decore,  
 Et teneros, virideſq; annos transcendere vita.

Quo viſo læti patres ( Antonius ipſe  
 Arbueſus dictus fuerat, tum Sancia mater )  
 Tot factis, tanta & moti grauitate iuuentæ,  
 Dulcibus inſtabant verbis, Petrumq; monebant  
 Dum ſtudijs formare volunt, linguiſque nouare  
 Illius ingenium, linguæ documenta Latine  
 Arbueſo tradere, & præcepta docere Magiſtrum  
 Grammatices, quibus uſa fuit Romana vetuſtas,  
 Tempore quo ſcripſi, ſceptrum tenuiſſe Latinos.

Pinguis ager ( cui nèc multum ſudoris, & artis  
 Sit ſatis ) ingenium fuit admirabile Petri,  
 Natura ingenuas quo ducebatur ad artes:  
 Vt lapis ad centrum; velut ignis ad ardua Luna  
 Concaua deductus. Sub præceptoribus hauſit  
 Vbertim fructus doctrinæ, quanta vetuſtis  
 Contigit hoc æui patribus, doctiſque ſophorum.  
 Ipſe legens docuit multos, virtutis & ergò  
 Ipſe domi feruens tacitus meditatur, & orat,  
 Ipſe ſacella frequens luſtrat, ſupplex, & ad aras,  
Pectora

Pectora contundens, gemitus, suspiria, gestus  
 Commiscet lacrimis, irrorat fletibus ora,  
 Ambrosiasq; genas quibus & candentia vincit  
 Lilia formosus. Fului ramenta metalli  
 Cæsaries offert, flavis aurata capillis:  
 Labra sed aurigeros distingunt lacte corallo.  
 Aspectu pulcher, rufusq; colore micanti,  
 Candorem niueum superat, solemq; rubentem.  
 Ne verò insignis probitas in honora maneret:  
 Ut mala corruptæ fugeret commercia carnis,  
 Ut fieret mortalis homo de ciuibus aulæ  
 Cælestis viuens; patriam contempsit, & altas  
 Mœnibus aspiciens vrbes; Saturnia regna,  
 Venit in Italiam, sceptris, bellisq; potentem,  
 Quâ se se magnis tendit Bononia campis,  
 Terra ferax, fœcunda virum, tum fertilis agris  
 Atq; usu bellorum acris, venerabilis armis,  
 Ingenijs veneranda pijs, studijsq; Mineruæ.  
 Hic tantum studij tantumq; laboris amati  
 Impendit rebus superis, vigilantia ut altè  
 Cognorit rerum causas, cognorit & artem,  
 Quæ iubet excultis animos accendere flammis.  
 Contempsit libros molles, & amoris iniqui  
 Ventosos strepitus, hominumq; inuenta refugit.  
 Ad sacras animum leges, ad mystica textus



Vertit opus Petrus, quærens alimenta, cibosq;  
 Cœlituum, Deus æthereas queis pascere menſas,  
 Et ſedes augere ſolet: ſub ſellia diuûm.  
 Temporeque ex illo, producti exordia mundi,  
 Synaycam legem, Paulum, Dauida canorum,  
 Vaticinum chordis Regem, pſalmisque canentem  
 Voluere decernit, ſacrisque incumbere libris.

Quo factum eſt: ut vere ſolum ſe floribus ornat:  
 Componit ſicut dulcis ſapientia docti

Cultoris terram ſylueſtrem, agrosque rebelles  
 Vertit in omniparas, atq; in ſola pinguia, campos:

Sic Petrus celeri ſtudio ſapientiæ in altos  
 Conſcendens apices, euasit doctus, & indè  
 Preſtitit ingenijs, quantum præcellit Olympus  
 Saxoſos colles, vel quantum lumina Titan.

Quid moror? & tantum dulcis facundia Petri  
 Profuit eloquio, quantum nec priſcus Arion,  
 Nèc Trax, blandiloquus vates teſtudine quondam,  
 Melliflui plus feciſſet dulcedine plectri.

Virtutum decus omne tulit. Patientia latè  
 Fulſit, telorum nimboſ iam fortis ad omnes  
 Splenduit, ardore incenſus. Prudentia cautum  
 Induit aſpectum, fecit clementia mitem,  
 Sobrietat parcum. Pietas miſerata labores,  
 Munificas palmas miſeris diſtendere egenis

Præcipit, & fulvæ rutilantia signa monetæ,  
Thesauros omnes Petri vilescere curis.

Si libet Arbuesi primis percurrere ab annis  
Mores, ad finem vitæ usque, & videbimur hortos  
Mirandos Cilices intrare, & Thesala Tempe,  
Purpurei tum veris opes, & rosida Himetti  
Culmina lustrare, & regna liquentia mellis,  
Olfacere Hybleos flores, fructeta Sabæa,  
Aut quidquid Baiana ferunt, Gauranaq; septa  
Et fruticum sylvas humiles, ubi balsama sudant,  
Nardi ubi spirat odor, syriūve ubi fragrat amomū,  
Magnaq; thuriferis redolentia aromata campis.

Ergo Mastrepilæ sancto lucentior astris  
Fama fuit, puro decies syncerior auro,  
Insignis probitas, vitioq; potentior omni.  
Fortunæ casus tempus. Tūm mentis ab arce  
Diuitias risit sæcli, mundique fauores:  
Quapropter Petrum illustris Bononia fecit  
Collegam, lauro, & doctoris honore decorum.  
Metropolis nostræ tractans tunc iura senatus  
Comventusve patrum celebris, sapiensq; probusque  
(Quem vulgus dixit gentis de more capitulum)  
Cannonicum fecit: pulsa ut caligine (si qua  
Tunc erat) ad portus navis remeare quietos  
Mox posset, valido hoc nauta pellente procellas.

Interea Reges ( conjux Ferrandus Elise )  
 Catholicae fidei stellae, ornamenta decoris  
 Totius terrae, & saeculi duo lumina tanti,  
 Ambo nobilium geniti de stirpe Gothorum,  
 Et regno celebres, populis ad iura reductis.  
 Alter Aragonius Princeps, Regina sed illa  
 Castellae, iuncti venerando foedere lecti,  
 Quos Deus omnipotens miseratus tempora prisca,  
 Tot, tantisque referta malis, tot fracta ruinis,  
 Ipse toro placido, thalamo coniunxit amando:  
 Ut pax regnaret, regna ut sociata vigerent,  
 Quae fuerant disiuncta diu. Damnata periret  
 Impietas, orci aeternis trudenda catenis,  
 Et virtus floreret, quans ornata corollis.

Duro igitur quamquam implexi molimine belli,  
 Dum cadit imperio Tagara, & dum Maurica Lorca  
 Submittit collum, dum subdita seruit Alora.  
 Dum Malacam Reges subdunt, dum Cartama victa  
 Urbes atque aliae, dumque expugnatur Alama,  
 Dum sensim Mauri fugiunt, dum cedere terra  
 Compulsi patriam linqunt, & mœnia temnunt  
 Ferrandi cogente metu, formidine belli  
 Absconsi: ut tandem sublimia tecta Granatae  
 Urbis ( quae tenuit multos inuicta per annos  
 Sceptra, pharetrigero Maurorum milite bellax )

Propugnent, triplici muro vallata tenaci:  
 Tunc inter strepitus Martis, resonosque tubarum  
 Clangores (superum res religionis amore  
 Acturi Reges) Iudæos pellere longè  
 Decernunt. Ne fors lethalia toxica sanctos  
 Inficiant animos, spargant aut monstra veneni,  
 Et stygium semper reuomentia viscera, virus.

Edictum vulgant, præconis voce perurgent  
 Iudæas gentes, festinent cedere ab oris  
 Hispanis, terrasq; nouas trans æquora quærant  
 Caucasæos montes videant, aut torrida Turci  
 Regna petant, Indasve plagas, septemve triones,  
 Curentque ad gelidum vestigia ferre Bootem,  
 Quâ ferus armatur Boreas, glaciesque niuosa.  
 Ex templo linquant patriam, camposque feraces,  
 Aut Christo nomen conscribant, dogmata cuius  
 Toto animo, toto conatu & corde sequantur.  
 Terruit edictum tabentia corda timore,  
 Nèc quid agant norunt. Mores deponere patrum  
 Non audent aliqui, sedesque domosque quietas  
 Linqere, nec nota profugos tellure fugari  
 Permittunt. Multi patriæ dulcedine tracti  
 Magna salutiferi sumpserunt stagna lauacri.  
 Ast alij quibus in faustus loligine succus  
 Antiquæ legis, medio pulmone venena

Conſperſit, mutant cœlum. Pars tendit in Afros,  
 In Gallos, inq; Italiam. Pars turbine rapta  
 Turcarum pañſis adiit verſum oppida velis.  
 Vt nigrans cœlum, dum turbida nubila circum  
 Obscurant orbes, dum abſcondit lumina Titan  
 Confuſus radios cohibens, comuerrere venti  
 Concursu, flatuque ſolent obſcura, ſerenum  
 Lætificare diem, depulſis nubibus acres:  
 Agricola utque ſolet viridaria tergere gnâuus,  
 Et lappas, ſpinas, tribulos, zizania, vepres  
 Tollere ab excultis, imis radicibus, hortis:  
 Vt nigro turdi tingentes arua colore  
 ( Si intorquet paſtor valido molimine fundam )  
 Raucidulæ volucres ſubito ſparguntur in auras:  
 Sic gentem miſeram varias diſperſit in oras  
 Mandatum Regum, ceu turdos verberare fundæ  
 Paſtor agit, nubeq; procella furensq;, fremensque:  
 Cultor agri ut vepres vellit radice reuulſa.

Ne vero quiſquam fidei myſteria temnens,  
 Oblitus fontes, & ſtagna ſacrantia mentes,  
 Irrita nubiferis ſpargens promiſſa procellis,  
 Per ſcopulos mortis, perq; execranda vagetur  
 Imuia luſtra ferus, patrum conſepta lacunis,  
 Ad nebulas patriæ antiquas, moreſque recurſet:  
 ( Vt canis ad vomitum redit, excors porcus ut udâ

Materiem canosus adit, rursusque reuoluit )  
 Insignes pietate viros, morumque magistros;  
 Scilicet Arbuesum sanctum, clarum ordine patrem,  
 Cui nomen Gaspar fuit, agnomenq; Iuglaris,  
 Religio celebris, Guzmanis sancta parentis  
 Quem nutrit, doctumque dedit, Gnauumq;, piumpq;  
 Qui causis fidei praesint. Speculentur acuto  
 Intuitu mores hominum ( contagia ne sint  
 Dulcia quae quandoque videntur verba liquores  
 Infudisse sacros: cum sint conserta venenis  
 Toxicis monstriferis stigios spirantia fontes )  
 Constituunt Reges, quorum Mastrepila primus,  
 Et Princeps legitur, sanctus qui semper honeste  
 Vixit, & ingenti doctrina lumine fulsit.  
 Maxima qui poterat mortali commoda vitae  
 Adferre ingenio, exemplo, virtute, loquela,  
 Cui nec lenta quies, nec iusta potentia, nec spes  
 ( Et verbo promptus, feruens animo, ordine clarus )  
 Improba fecerunt, quin vitam sanctius istam  
 Gesserit, & medius per honesta & caelica limes  
 Traxerit Arbuesum scopulos per, & noxia secli  
 Carmina, tabificis orci commixta Chelidris.

Ergo cultor fidei lectus, componere mores,  
 Cepit, & aduersas recto compefcere linguas  
 Inque Deum stolidas frenare, & pellere culpas,

Errorum & feces, mundumque aſpergere luce.  
 Non potuit, ſed enim infernus, nec praua nefandis  
 Subdita peccatis Iudæa infamis, & undis  
 Baptiſmi mundata ſacris, conuerſaque nuper  
 (Inconſtans, repetens vomitum) ſuſerre malorum  
 Supplicia. Et pœnas, ignes tormenta pudendis  
 A Petro Arbueſo morbis inflicta, reiſque  
 Damnandis, quibus infenſa & labruſca racemis  
 Grata fuit, prauo reuomunt dum mella palato.  
 Et quibus antiquus Moſes inſederat altè  
 Cordibus infandis, Senio & lex mortua longo.  
 Paſſuri flammæ, ignes, incenſia, mortes  
 Ob ritus veteres, cæca ob veſtigia patrum.

Ergo hi cum ſectæ ſocijs, Moſiſq; ſequaces  
 Cenſorum fidei coetum, totumque tribunal,  
 Chriſtigenas cunctos, diro diſcerpere ferro  
 Decernunt: ſed enim hoc decus immortale triumphi  
 Maſtrepilæ tantum ſeruauit rector olympi,  
 Martyrij clarum facturus munere ſanctum,  
 Templi delicias noſtri, orbis amabile ſidus.

Finis libri tertij Perithephanon.

# PERISTEPHANON

SEV DE CORONIS SANCTO-  
RVM ARAGONIENSIVM, ET

de vita, morte, miraculis serui Dei Petri Ar-  
buesi Canonici Cæsaraugustani, &  
primi Inquisitoris.

## LIBER QVARTVS.

**A**D cursum leuis aura vocat. Maioribus Orsis  
Est opus. Accedit Petri mors, instat, & urget  
Iudaicæ gentis feritas. Contendit acerbo  
Martyrio truncare virum. Fidei q̄ duellum  
Secta ferox finire cupit ( quodque autumat illa  
Finitum, Petrum si mors oppresserit atrox )  
Spiritus adijciat vires, Deus ora secundet,  
Nec nostros versus contraria monstra morentur.  
Arbuesum nunc cimba vehat, nunc æthere ab alto  
Cælica dulcifluis socientur dona camenis.  
Augustus Titus postquàm Vespasius Heros  
Tot cædes hominum Solimis, tot funera fecit,  
Quæ nec claudantur numero, nec dicere possem,  
Guttura si centum dentur mihi, si oraque centum  
Iudeos gladius misera quos cæde peremit,



Vel quos eſuries aura viduauit, & enſis  
 Quos proprius morte affecit, quos ignis, & hoſtis  
 Perdidit infauſta plebis, & enalis ad haſtam.  
 Gens Iudæa plagas orbis diſperſa per omnes,  
 Pars noſtras miſeranda venit tunc plebis in oras.  
 Ipſa ſed ut lolium plantis, herbisque nociuum  
 In multam creuit ſobolem, diſtendit ubique  
 Peſtiferos ramos, altis radicibus hærens  
 In ſyluis Moſis, cæcis contenta ſub umbris.  
 Diues in Argento ſemper, prædiues in auro,  
 Diuitijs quocunq; modo diteſcit opimis,  
 Imponens miſeris uſuras fænore grandi  
 Facta, dolos, fraudes, mendacia, munera, cenſus  
 Juſtitiam contrà, prætextu legis, & æqui,  
 Per fas atque nephas complens maſſupia nummis.  
 Priſcis temporibus Iudæi uiuere more  
 Antiquo poterant, Phaſem celebrare quotannis  
 Verbaque cornigeri in Chriſto completa propheta:  
 Attamen ut ſacro baptiſmi fonte lauari  
 Tentarunt, Domino, & fidei dare nomina noſtra,  
 Chriſtiadum leges venerari & fœdera legis  
 Tunc iuſſi promiſſa ſequi, aut pro crimine mortis  
 Damnari, & pœna capitis, ſi fortè vacillent.  
 Aſt ipſi tantùm curabant fingere vitam,  
 Criminis expertem, ceſtes fingere mores,

Et super induc̄to velabant corda colore  
 Conuicti scelerum culpa, & præcordia flammis  
 Feruebant, iram magnam, rabiemq̄ furentem  
 In Christum Dominum claudebant pectora; quamuis  
 Celicolum ritus illius facta putasses.

Erupit sed enim virus, fomenta veneni  
 In faciem veniunt, ruit à radicibus humor,  
 Atque nefanda palam produntur crimina gentis,  
 Confectis obtecta vijs, atq; artibus Orci  
 Virtutis speciem & fidei simulantia vultus.  
 At Petrus Arbuesus qui in religionis amorem  
 Verterat ingentes curas, qui Iudicis æqui  
 Signa pius dederat. Pænis componere mores  
 Sæuaque iustitiæ compellere crimina flagris,  
 Conaturq; vias sceleri præcludere. Culpas  
 Incestus, sordes, veneris monumenta nefandæ,  
 Delictum turpe execrandæ furta Gomorræ  
 Hæreseos morbos turpes, periuria (pacta,  
 Si quæ connubij, nupta viuente priore)  
 Castigat. Nigras transfert in carceris umbras,  
 In manicas, in vincla pedum, gelidasq̄ cathenas,  
 Cæcatas mentes, punit, secat, arbiter almus:  
 Ut trepident, timeantq̄ mali formidine furcæ,  
 Torrere ut pæne possint ad crimina pronos,  
 Ut lappas, herbas steriles, tribulosque nocentes

Catholico euellat fundo, diuellat ab agro  
 Exculto domini. Defendat dogmata Chriſti,  
 Caſtellum & fidei, nuſquam expugnabile telis,  
 Fraudibus infandis ſtygia, vel demonis arte:  
 Commoueat quanquam cum tempeſtate procellas,  
 Imbribus horrenda, & vibrato fulmine torua.  
 Hoc unum verò ( viſuri examine longo  
 Crimina ) cenſores curis mordacibus egit,  
 Iudaicæ gentis rabies, & dogma tenaci  
 Innascens rursùm ſectæ loligine prauum.  
 Namq̄, oculos hominum ſpecie virtutis, & umbra  
 Vt fallant verpi, properant genitricis ad aulam,  
 Metropolim ad noſtram, ſanctorũ templa frequentāt,  
 Fundunt ore preces genibus veſtigia curuant,  
 Ora rigant lachrimis, tundunt & pectora palmis.  
 Raucidulo ſed labra ſono ( non corda mouebant  
 Ad Chriſtum ) repetunt ſenſim miracula priſca,  
 Et fontem de rupe datum, quem Virga prophetæ  
 Eduxit ſciſſi ſaltantem ex cortice ſaxi,  
 Atq̄ ollas veteres, cœnam agni, Encenia ( Moſes  
 Sanctus homo quæcumq; dedit pro tempore legis )  
 Ignari ad tempus Chriſti transferre volentes.  
 Sic igitur patribus fidei, morumq̄ magiſtris  
 Defertur ſcelus admiſſum, repetita nefandi  
 Iudaici ritus contagia, crimina patrum

Cordibus infaustis recutitæ gentis auaræ,  
 Ossibus, & nervis rursus insedisse profanis.

Queis motus Petrus ( præcellens arbiter arcis  
 Causarum fidei ) tribulos, plantasque nocentes  
 Leuigenum, plebisq; feræ lustrare tenebras,  
 Ulcera membrorum tabo putrefacta pudendo,  
 Undantem saniem, fellisq; humore tumentem  
 Infrenare pius curat, rursusq; reformat.  
 Hinc ignis vibrat flammæ, hinc chorda capistros  
 Blasphemis aptat linguas. Hinc terga flagellis  
 Liuescunt rigidis. Resonantia flagra rubescunt  
 Hinc costis infixæ malis. Hinc æquora sulcat  
 Navita fluctuagis, agitatis ordine remis.  
 Ligneus hinc substratur equus, quiq; orbibus urget  
 Hæreticam rabiem, conclusas corde latebras,  
 Culpis membra virum, & vitijs maculata nefastis  
 Distendit : pateant ut morbi, culpa pietur,  
 Et sanies contacta fluat, sincera trahatur  
 Ne plebs in morbos, nec turpia crimina fontes  
 Tollant, insontes perdat gens prava columbas.

Denique scribuntur fisco bona plurima eorum,  
 Baptismi sanctos qui ausi contingere fontes,  
 Respexere retro rursus, subitoq; relapsi,  
 Sordibus immundis leti voluuntur eisdem.  
 Hoc ubi præsensit rerum effrenata cupido,

Perfida monstriferis lucri gens perdita technis,  
 Effera, dira, ferox, ex lex, Iudæa rebellis,  
 Quæ mortes, ignes, flagra atque incendia turpis  
 Tempserat; horrissonis conclamat vocibus amens.  
 Ira fremit discors. Feruent præcordia flammis.  
 Scintillant oculi. Præuam cor sanguine flagrans  
 Virus anhelat atrox. Verpus minitatur acerba  
 Christicolis damna. Et totam delere per orbem  
 Christi adum legem, Christum, ritusque piorum,  
 Catholici cætus mores, nomenque, decusque.

Principio ad fidei patres, sacrumq; tribunal  
 Vertitur in fælix rabies. Vindicta cruentis  
 Constituit, simulans, censores cædibus almos  
 Perdere. Mastrepilam truncare agitata feroci  
 Inferni flatu primùm, reliquosque deinceps  
 Castelli fidei vigiles, sacrosq; ministros.

Ergo in consilium reuocat periura relapsos,  
 Non paruo numero. Quâ matris virginis almæ  
 Cælica clarificis posuerunt numina dextris  
 Saldubæ muros supèr, admirabile pignus.  
 Atque ubi Massarum collucent atria rursùs,  
 Sæpius atque alibi iunguntur. Et agmine multo  
 Complacuit Petrum Arbuesum prosternere morte.  
 Sicque diem fugiunt, obscuraq; noctis opacæ  
 Congrua conquirunt culpæ, ne plebe frequenti

Christigenum populi raperent in bella furorem.  
 Quinq; ergo verpos legit gens dura, redemptos  
 Mercede, & precio grandi: atq; ut tempore prisco  
 Conducto Iuda committunt crimina nusquam  
 Audita, infaustis curant celerare manipulis.  
 Utq; lupus capras, venator ut ipse columbas,  
 Utq; canis lepores, ieiuni ad prandia ventris  
 Appetit. Arbuesum detur si certa facultas  
 Ad morsus quærant, iussit gens dira superba  
 Confodiat hominem sanctum, rabidoque tumultu  
 Corripiat morte immani, quo Iudice vino  
 Igniferum solimos perdet iaculabile fulmen,  
 Destruet Isacidæ nusquam tolerabile damnum.  
 Septembris tunc tempus erat, quo semina sulcis  
 Iacta legunt, quærunque grues, vindemia quando  
 Iam lacubus matura cupit, pinguisque reondi,  
 Implere & vacuas precioso nectare cellas.  
 Luctificusq; dies aderat, sol lumine densus  
 Alta ferebatur veneranda per æthera tristis,  
 Obscuris radijs scintillans, nubibus aer  
 Turbatus duos casus prædicit, & infit.

Vertitur intereà cælum, lux transit ad Indos  
 Obuoluens umbris campos, terras, quæ polosque.  
 Densantur sensim nigrae, cæcæque tenebræ  
 Et placidos somnos, dulcemq; in nocte quietem

Saldubæ ciues carpunt, hominumque, canumque  
Ora quiescebant, noctem ducentibus astris  
In medios orbes. Medium iam noctis abactæ  
Tempus erat. Nostri templi iam cimbala bombo,  
Et sonitu grandi retonant. Cælum omne cietur  
Nolarum strepitu, scanditque in sydera clangor,  
Excitat & surdos, diuersis motibus artus,  
Oppressos somno. Excubitorque silentia Gallus  
Excutiens, medium noctis signauerat alis,  
Et cantu resonus. Diuinis laudibus implent  
Templa Sacerdotes, monachus, monialis, & omnis  
Clerus amore Dei accedit, deductus ad horas,  
Et laudes cæli recinendas, tempore noctis,  
Quo motus animique solent intendere vires,  
Conatus totos in cælum, pectora mentes,  
Sanctaque cælituis distendere corda coronis.  
Hos intèr venit diuinus Petrus in aulam  
Metropolis recitare preces, celebrare Deumque  
Laudibus, omnisonis Psalmistæ tangere chordis,  
Vaticinus plectro, quas Rex cantauerat Odas,  
Alternisque choris resonare encomia legis,  
Quadruplicem textum, Paulum, Mosemque canorū,  
Ad Christi laudes. Mox sacramenta, figuras,  
Præcepta antiquæ legis, magnalia patrum,  
Sanctorumque nouæ vitas, miracula, triumphos.

Postea.

Prostratus templi in medio, deuotus, ad aras  
 Intentus totus, gemebundis uocibus orans,  
 Sic ait. Aeterni rector mirabilis orbis  
 Pande salutiferas nostris nunc cordibus aures,  
 Quaeq; gemens fundo, miseratus uota praecantis  
 Respice cunctipotens, te mens, te corda, tuumque  
 Conspectum, faciemq; tuam mea viscera quaerunt.  
 Dirige nunc rectum, mundi per deuia callem,  
 Succintos armis hostes depelle furentes.

Esto mihi clemens, esto pater, esto patronus  
 Christe potens. Quo, uel simili sermone loquutus  
 Arbuesus sanctus, precibus, conuersus ad aras,  
 Instat. Quum cepit Clerus cantare Dauidis  
 Psalmum, quoque solet ritus solemnia noctis  
 Ordiri, alternisq; choris resonare canorus,  
 Imitare pios homines, reuocare fideles  
 Nocturnas caeli ad laudes. His pangere uerbis.

Eia uenite, Deo domino exultate canentes,  
 Excelsum laudate Deum, iubilate saluti,  
 Praeueniamus, & anticipemus munera laudis  
 Et faciem Domini cantu, plectroque sonanti  
 Flectere curemus. Quod sit super omnia magnus  
 Rex Regum, rerumq; pater, dominator & orbis,  
 Telluris, caelique sator, mundiq; Redemptor,  
 In manibus cuius perstant fundamenta, fines,



Qui altos conculcat montes, qui culmina planat,  
 Interdumque humiles valles super æthera tollit.  
 Sicque sequebatur textus per cantica Psalmi,  
 Atque chorus noster verbis & corde canendo,  
 Venerat ad versum, quo gens recutita fruendis  
 Cælorum viduata bonis, fertisque beatum,  
 Damnatur pœnis inferni ingrata seueris.  
 (Horresco referens) tunc dirus proditor unus  
 Ex coniuratis, nummum mercede nefanda  
 Conductus, truncare virum furialibus ausis,  
 Accessit retro tacitus, laterique sinistro  
 Vagina ex longa sceleratum diripit ensen,  
 Et Petri Arbuesi collo trux abdere totum  
 Conatus; iugulum fecit, quo sanguinis undæ  
 Fluxerunt celeres, quo rosida vasa cruoris  
 Inspergunt templi lapides, terramque rubentem.  
 Ut nitidi fontes conspergunt arua rosetis:  
 Utq; roseta rosas generant: utque undæ corallo,  
 Purpureos pannos, rubicundos concha colores,  
 Metropolis celebris tanto irrorata nitore,  
 Picta rosis, conchis, ostroque colore retincta,  
 Arbuesi venis, fideique rigata fluentis,  
 Muneribus cæli multis celebranda futuris,  
 Prodigijs tantis, miraculis tanta, decoris  
 Ingentes fructus faciet, tum multa quotannis

*Virtutum varijs florentiaserta coronis.*

*Transfixus rursùm Petrus, victurus in annos  
 Æternos cecidit moribundus, & atria blandos  
 Composuere sinus. Gemmatus sanguine lectus  
 Excipit innocuos sacrati corporis artus,  
 Purpureosque dedit latices pro stramine molli.  
 Heu furor? heu rabies, heu detestabile factum  
 Heu scelus, heu immane nephas, ò perdita sempèr  
 Impietas. Nùm hominum sordes? num stercora seclis?  
 Orci membra decus tantum prosternere mundi?  
 Nunquid de virtute scelus? de iure triumphos  
 Iniustum facinus tollet? nùm iniuria vincet  
 Iustitiam? furor, & rabies, fraudesque, dolique  
 Quo mundus vultu tulit hoc? quo sydera? Cælum?  
 Luna rubens? Stellæ? Sol? Mars? reliquique Planetæ  
 Hoc opus indignum? cur tellus pertulit huius  
 Criminis autores? avidis cur faucibus orcus  
 Non carpsit? stygias cur non deduxit ad umbras?  
 Nusquam tuta fides. Quisnam unquã crederet illos,  
 Qui patrios tenuere focos, putredine mentis  
 Excusa, & Christi lotos baptisinate sacro,  
 Sordibus obscenis rursùm obdormire pudendis?  
 En fidei immemores, vitam, propriamque salutem  
 Obliti, Egipti caules ollasque nocentes  
 Commemorant. Veluti inclusus tellure sub atra*

Ex nitro puluis, magnas euertat ut urbes  
 Dùm ſe ſe aſtrigeros effert furibundus in orbes  
 Effringit rabiem: ſic gens recutita, furensque  
 Ardentes flammæ (quæ teçtæ corde latebant  
 Chriſticolæ contrà) inferni furialibus auſis  
 Hac nocte euomuit. Sanctus Maſtrepila truncus  
 In medio templi iacuit. Fugère deinceps  
 Carnifices, ſtrepituque ingenti, uocibus ægris,  
 Tortorum curſu, fugientumq; impete magno,  
 Atque pedum ſonitu, aſtantum clamore uirorum  
 Metropolis retonat. Crediffes fulta columnis  
 Teçtæ tot, & tantis à uertice in ima ruiſſe.  
 Tunc clerus noſter uerſus, & cantica ſacri  
 Pſalmographi uatis liquit terrore ruinae.  
 Clauſtra chori exiuit. Turbatus limina tranſit,  
 Ancipiti trepidans animo, confuſus acerbo  
 Maſtrepilæ ſancti caſu, lamenta mouere  
 Cepit & undantes lachrimis preſſare dolores.  
 Pars currit, pars deflet hiantia uulnera, parſque  
 Claudere conatur, uocesque ad numina grandes  
 Tollit, pars minitatur (lamentabile uifu)  
 Lactea purpureo pars colla recincta colore  
 Panniculis mulcet, refouet uulnusque ſiniſtræ.  
 Oscula mōx manibus, pedibusque, & ueſtibus omnes  
 Reddere nituntur, uenerantur martyris indè

Membra corallifluis iam fulgida sanguinis undis.  
 Arbuesus vix viuis erat, mortiq; futuræ  
 Proximus, ingenti affectu subsellia diuûm  
 Replerat precibus, missis vel in æthera votis.  
 Tunc sed enim populus veniens, urbs tota tremendis  
 Ensibus, atque alijs armis munita coruscis,  
 Destruetura trucem gentem, sectasque nefandas  
 Verporum, cunctas ferro exhaustura repente,  
 Conclamat, tangit, spectat, stupefacta cruoris  
 Arbuesi patris bullire in puluere fontes.  
 Nam veluti olla ardens prunis flammaque voraci  
 Ebullit, feruet, tollitque in celsa liquores  
 Feruida concutiens undas, & murmure rauco  
 Cantillans, subleuatq; coquenda, mouetq; frequenter.  
 Sic sanguis Petri, fulgenti lumine clarus,  
 Bullire in terra cepit, tellusque liquore  
 (Pondere in inferius quãquã hęc elementa ferãtur)  
 Alta petit, feruet, saltat, nat, rauca minaces  
 Feruoris voces mussans, commota susurro.  
 Rusticus ut quando Chaimus truncavit Abelum,  
 Pastorem sanctum, inuidia instigatus acerba,  
 Innocuus sanguis (virgultum ut vere rubenti  
 Soluitur in flores fusus per viscera terræ)  
 Vindictam quærens, clamores missit in arces  
 Celituum pœnæ repetens pro morte secures;

Sic ſacer Arbueſi ſanguis; ſic ſanguinis unda  
 Ad Dominum clamant, tollunt ad celfa parentis  
 Atq; redemptoris Chriſti, ad palatia Regni  
 Ingentes gemitus. Terra & madefacta cruore,  
 Impellit motu ſonitus, in ſidera multos.  
 Interea penetrat Salduba gentis ad aures,  
 Fama intrans aditus, ac mille foramina tectum  
 Perluſtrans, nullis detenta per abdita portis,  
 Torua fremens, voces referens, verſansque ſonantes  
 Maſtrepilæ mortem, diras feciſſe ruinas  
 Iudæam gentem. Crescunt delicta, vagantur  
 Millia rumorum confuſſè ducta per urbem,  
 Dum dictis addit maiora loquacior autor.  
 Inde vago templum, turba coeunte, tumultu  
 Urbs replet triftis, cleri miſerata dolores,  
 Admirans facinus, ſceleratae & crimina gentis.  
 Continet àt voces, lachrymasque introrſus obortas,  
 Immites tantum conuertit in æthera vultus.  
 Maſtrepilæ faciem ſpectat, vulnuſque tremendum  
 Impactum collo ſacro cenſoris, & enſem  
 Terribilem venas furtim ſecuiſſe calentes.  
 Aſpicit exangue ut corpus venerabile, luget,  
 Vlciſci ſtatuit (catulo ut viduata leena)  
 Arma capit, verpum gentem ſtratura nefandum,  
 Currunt, diſcurrunt coniunctæ hinc inde cohortes,

Armatique homines, confusoque ordine ciues.  
 Non sic tunc rabies molles furibunda luporum  
 Inuasisset oues, & parcus horrida tigris  
 Orbatum pastore pecus lacerasset acerbo,  
 Et multo iugulo, rictus fœdata rapaces;  
 Quam fortis SALDUBA feros exosa relapsos  
 In culpas, discerpisset, cædemque seuera  
 Supplicio grandi, & pœna mulctasset atroci  
 Mastrepilæ sancti. Verùm Deus altius omnem  
 Iudæis differt vindictam, lege ferendam.

Alfonsus præsul noster, regisq; potentis  
 Illustris soboles, prorex, & pastor ouilis,  
 Saldubense pedum retinens pernobile, & omnes  
 Intèr Aragonios proceres tunc primus, & ipso  
 Alter àb armisno Ferrando patre secundus,  
 In Regno princeps, casum admiratus iniquum,  
 Obuius accessit, forsàn ne praua profano  
 Carnificum sceleri superaddita crimina, passim  
 Instanti rabie admissa, & caligine noctis  
 Obscuræ, insontes (seuis pro fontibus) acrem,  
 Corpore concusso tolerent per vulnera mortem.  
 Ibat equo vectus, multoque satellite circum  
 Vallatus, forti comitatus milite, multis  
 Principibus socijs, tristis quos fama repente  
 Iunxerat, & tumidis vindictæ flatibus ultrix

Imbuerat. Cuncti populum ſedare furentem  
 Conantur, cuncti peiora repellere ab urbe,  
 Commotam gentem, ira & ſeditione coactam  
 Turbatumq; animis furibundum, & mobile vulgus  
 Frænare, in mentem ſanam, ſenſumque benignum  
 Ducere Chriſtiadum veterum præcordia. Primos  
 Motus, diſtriectos enſes, gladiosque minaces  
 Compoſitis ſenſim verbis diuertere ab ira.  
 Tunc igitur princeps Alſonſus ſubdita verbis  
 Agmina ducturus per dulcia iura quietis,  
 Legibus, atq; foris, non vi rectorus, & armis  
 Adiunxit ſurdosque duces, ſurdasque phalanges  
 Poſt voces, multasque preces, multosque labores.  
 Quæ pietate grauem, meritisque & munere clarum  
 Auſcultant, patulisque Alſonſo cordibus aſtant.  
 Ille ergo dictis animos, & pectora verſans,  
 Detestari ingens facinus, crudele, pudendum  
 Cepit. Diuitijs ſolis ſeruire dolosus  
 Conſilium infælix, ſceleris ſi præmia, ſi amplas  
 Repromittat opes, animi ſolamen auari:  
 Sic cecidit Iudææ pectus, ſicq; impia corda  
 Verporum, gladijs (inquit) ſcindenda cruentis  
 Ignibus æternis urenda, & tempore noſtro,  
 Et cura, flammis torrenda: ut ſæua Perillus  
 Tauri tormenta admiſſit, fabricator aheni,

*Et clausus mugijt boue comburendus atroci.*

*Sum memor ( aiebat ) sceleris, scelerumq; recordor*

*Istius gentis, memini delicta relapsum,*

*Funera, furta, dolos, incendia, crimina, culpas,*

*Qualia facturi nusquam peccata tyranni*

*Busiris, Phalaris, Nero, Datianus, & ex lex*

*Antiochus, prauus Sciron, Ciclopsve tremendus.*

*Sum memor Isacidas pueros rapuisse parentum*

*Christigenum ex gremio plures : ut funera Christi,*

*Et scelus antiquum, ( quo gens recutita decorem*

*Et fructus legis veteris disperderat omnes )*

*Martyrio infantum renouent, repetantq; nefastæ*

*Addentes culpæ sordes, quibus ardua regni*

*Premia conquirant stygij, & Phlegetontis amari*

*Æternas meritis pœnas venentur, & iras.*

*Simonem puerum verpos truncasse Tridenti,*

*Vernerum Treneris. Ligno affixisse recordor*

*Christophorum Guardæ, Toleti nobile pignus.*

*Atque ira, & rabie iecur accendente, volatu*

*Præcipites ( ut saxa iugis disrupta feruntur )*

*Quum recitanda venit mors, lamentabilis orbi,*

*Sancta redemptoris: pueri sub imagine viua,*

*Cordibus afflatis stygia loligine, raptum*

*Affigunt ligno insontem, cantare suetum*

*Virginis, & matris laudes, seruire choroq;*



Metropolis noſtræ ſubtili voce Domingum.  
 Quem (cum ſol rueret, tùm nox iam pallida cælum  
 Clauderet, undiuagas Titan abiturus in umbras)  
 Cantantem ſuperum laudes, encomia diuùm  
 Per vicos (SALDVBA) tuos, operoſa canentem  
 Carmina pſalmographi vatis, verſusque ſuaues:  
 Nodis colla premens, candore ſimillima lacti,  
 Proditor Aljamæ dedit Albaizetus, & aſtu  
 Diro affigendum ligno, mortiq; tradendum  
 Surripuit furtim: ut crudelia vulnera ferret  
 Sub Chriſti perſona infans, quo Sanctiùs unquam,  
 Altiùs aut puerum vidiffes celfa ſequentem,  
 Hicq; fuit ſanctus primo ſignatus àb ortu,  
 Educens nitidam matris de ventre coronam  
 Atq; humeros crucibus rutilos, oſtroq; micantes.  
 Hic magnæ pignus virtutis, & indole magnus,  
 Delitiæ matris Saldubæ, ſpesque, decusque  
 Metropolis noſtræ, cleri vel amabile ſidus.  
 O, ſcelus infandum flagris, & pondere ligni,  
 Innumeris pænis hominem cruciaſſe, Deumque  
 Non viſum Solimis ſatis! En Salduba nepotes  
 Illorum rigidis efflantes cordibus ignes:  
 Quod morti verum non poſſint ſcribere Chriſtum  
 (Quem norunt olim pænas ſubiſſe nefandas)  
 Factitium cruciare parant, roſeumq; Domingum!  
Iamque

Iamque feri rabidos acuunt in vulnera morsus,  
 (Dum medium noctis currit, dum sydera somnos  
 Concedunt, placidam vel corpora fessa quietem  
 Admittunt) mortem pueri, sub imagine mortis  
 Vmigenæ Christi, tractant, scelerisque ministri  
 Ad crucis ingentes pœnas decreta tenelli  
 Membra Dominguiti, confracta, pedesque, manusq;  
 Suspendunt, clavis parieti affixa repandis.  
 Nec dubium intereà tortorum monstra decoram  
 Cæsariem pueri, auratam turpasse recuruis  
 Vnguibus, ora manu rigida, candore micantes  
 Interdum maculasse genas, lacerasse capillos,  
 Et tribulis, spinisque caput torsisse cruentis,  
 Risisse infantem faciemque lauisse salinis  
 Corporeq; in sancto duris lusisse flagellis.  
 Nec riuus per saxa fluens, nec cera liquefcens  
 Mollior. Aut puero maior dulcedine mellis  
 Nectarius succus, fructus vel dulcis himetti,  
 Montis, & hiblei fruges, nitidique liquores.  
 Nec maior patribus fuerat celebrata vetustis  
 Laus, sensus, virtus, animus, constantia, mensque;  
 Quam fuit inuicti pueri laudata Domingui.  
 Afflatus virtute Dei nam nobilis infans  
 Vincula sustinuit, cruciatus, flagra, dolores,  
 Nil dicens, perstans mitis (mirabile dictu)

Brachia dùm clavis pendent, dùm corpore nudo  
 Suspensus patitur pignus venerabile terræ,  
 Atq; poli ſplendor magnus. Dum martyr amaris  
 Tormentis quatitur. Sæuiq; ad verbera feſſis  
 Succedunt, plagasque novas per membra miniſtri  
 Incutiunt. Multo dùm artus liuore tumefcunt.  
 Dum horrida peſtifero vibrabant ore venena,  
 Exhaustis venis, fuſas dum ſanguinis undas  
 Transfixi infantis curant vacuare furentes.  
 Denique terribili truncatus morte puellus,  
 Non ſpecie velut ante roſas, non cœlica vincit  
 Lumina, ſanguineis facies turpata capillis,  
 Quæ viua ardentes oculis afflabat amores.  
 Pendet onus ſacrum, demiſſo vertice ſuprà  
 Pectus, & exanimis (veluti flos natus in hortis,  
 Cui decus, & formam raſtri, longique ligones,  
 Aut vomer dirus vellens, vel ſarcula morſu  
 Surripiunt foſſis terra radicibus imis)  
 Pendeſbat martyr ſine vita, & ſanguine ſanctus  
 Corpore deformis maculis, & fœcibus ater.  
 Tunc igitur verpi fugiunt: ut lumina mundi,  
 Conſpectusque hominum fugiant, ne crimen in aures  
 Procedat, corpus deponere, voluere ſaccis,  
 Occultoque loco, foſſisque recondere curant,  
 Quâ templum Chriſti matris, propè fluminis undas

Quâ muros lambens *SALDVBAE* diues Iberus  
 Alluit auratis depingens littora conchis:  
 Defossa iacuit terra commixtus arenis  
 Tam sanctus martyr, tellure reconditus ima  
 At Deus omnipotens, celsi regnator Olympi,  
 Non passus tantum delictum, crimina tanta,  
 Impune ut mala tot fiant, cœlestia misit  
 Lumina, flammiferis radijs monstrantia corpus.  
 Hoc luces radiare novas, hoc cœlitus astra  
 Mandavit, facibusque nouis signare Domingui  
 Martyris inuicti tumulum. Nox luce coruscans  
 (Nox claro magè clara die) resplendet in omni  
 Fluminis herbosi ripa, atque in margine. Donèc  
*SALDVBAE* ad patres nostræ delata feruntur  
 Prodigium cœleste datum, nocturna silentis,  
 Obscuræ & noctis flammantia sidera, terris  
 Proxima, fulgenti testantia lumine cœli  
 Martyrij pignus sacrum, veneranda tropheis  
 Membra Dominguiti, quæ mox inuenta vehuntur  
 Aegidij sancti in templum, translata deinceps  
 Metropolim in nostram miraculis clara micantis,  
 Et pulcri solis superant ostenta nitore.  
 Hæc igitur ciues nostrî delicta recordor  
 Temporibus patrum, nostrisque patrata, cruentis  
 Iudæum manibus, technis atque arte relapsum

(Obque

(Obque recens facinus) pœnis crucianda seueris,  
 Supplicijs pensanda atrocibus omnia : donèc  
 Hoc genus infandum cælo, vel vindice totum  
 Dissereat gladijs, tormentis, carcere, flammis :  
 Utque solent nubes validis vanescere ventis :  
 Flores utque solent crudis marcescere nimbis :  
 Robora ut igniuagis multis corrosa fauillis,  
 In cineres abeunt : sic gens Iudæa sacratis  
 Legibus, & legum pœnis torquenda, volantes  
 In flammam, fumosq; abeat dispersa per auras.  
 Quare agite, o ciues SALDVBAE, ponite rixas  
 Inq; domos vestras, in tecta reducite ferrum,  
 Armaque nunc cessent, vires, turbataque luctu  
 Ira, ignis, candensque Chalib, & iurgia cessent,  
 Et tibus innumeris dubiam quassantia mentem.  
 Carnificæque manus cessent, infixæ medullis  
 Iratis rabies, nunc nota in tecta recurset.  
 Dixerat Alfonsus, sub quo gens nostra frequentèr  
 (Dum vixit) pastore bonis fœlicitèr aucta  
 Diuinis : sicut sub gnauo terra colono  
 Plus parit, & multo implentur granaria fructu.  
 His dictis, vulgo, pastoris dicta, furenti  
 Consilium amplecti patris, reuocare tumultum,  
 Cessare à bellis, visum pro tempore iustum.  
 Sicque venenatum mox deposuere furorem

Cessaruntque anidæ sæuire in vulnera dextræ,  
 Confussum vulgus repetit tentoria. Prorex  
 Et præsul noster defessus corpore, ciues  
**SALDVBAE** cuncti, sedato pectore, tecta,  
 Atque domos repetunt, virus, discordia, murmur,  
 Motaque diuersis resonantia partibus arma,  
 Et gladij, atque enses, insani flamma furoris  
 In somnos recidunt, excepit membra soporus  
 Lectulus, & roseis fulgens aurora capillis  
 Prompta venit, croceum linquens rubicunda cubile.

Finit liber quartus.



# PER ISTE PHANON

SEV DE CORONIS SANCTO-  
RVM ARAGONIENSIVM, ET

de vita, morte, miraculis serui Dei Petri Ar-  
buesi Canonici Cæsaraugustani, &  
primi Inquisitoris.

## LIBER QVINTVS.

**H**ÆC intèr multùm reboantia murmura noctis,  
Metropolis Clerus sanctum deponere corpus  
Mastrepilæ in lecto voluit, si fortè per artus  
Omnipotens vitam vellet seruare, viroque  
(Vltima labentis distendens stamina lucis)  
Præscriptum proferre diem, producere tempus:  
Terquinos olim vt regi Deus auxerat annos.  
Nox aberat: totum radijs insperferat orbem,  
Implicitas tenebris nudauerat æthere ab alto  
Sol terras, radios, rorantem lampada, cælum  
Ad medium duxit, celeri lux mota rotatu.  
Deflebant omnes casum, Mastrepila sanctus  
Mortales tandèm martyr, sublatus ad astra,  
Post biduum lecto distentos liquerat artus.  
Luctifico clerus tristis vestitus amictu,

Irrita supplicibus miscebat verba querelis.  
 Atria multiuago crepitant concussa tumultu.  
 Ipsi etiã lapides, altaria, claustra, columnæ,  
 Clatra, chorus, portæ, resonantia cimbala templi,  
 Vocibus inclamant multis, deflere videntur,  
 Et lachrimas iactare pias, baubare querelas,  
 Et Christo domino varios mussare dolores.  
 Deflebant populi, fontes, fluuialia fletu  
 Littora concussis, turbato vortice, ripis  
 In luctum translata silent, & cantica tantum  
 Consona tristitiæ pangunt, & flebile carmen.  
 Metropolis viduata choro, viduata micanti  
 Ornatu ( multis velut interdita diebus )  
 Mastrepilæ mortem voluit deflere cruentam.  
 Respuit & mæstis lachrimis non congrua fufis  
 Fulgida purpureis ostroque, auroque tapetis  
 Tegmina, & Attalicis florum intertexta figuris.  
 Intereã æternas dimisso corpore sedes  
 Petrus ouans scandit, portasque patentis olimpi  
 Martyrij lauro fulgens, comitante corona  
 Multiplici diuûm, palma fruiturus adintrat.  
 Hinc illi occurrunt patres, atque ordine longo,  
 Antiquæ legis, fantesque futura propheta,  
 Pulsantes placidas cælesti pectine chordas.  
 Princeps vaticinus, fundæ, regnoque coruscus



Præcedit cunctos, Petri præconia Psalmis  
 Depingens resonis. Acies tum nobilis adstat  
 Non clypeis ferrove potens, celebrisve triumphis,  
 Et rerum bello gestarum ornata trophæis,  
 Culmen Apostolicum, maiorum turba per aures  
 Docta salutiferas verbis immitere voces,  
 Et libris sacris, diuina pelleret funda  
 Hostiles fraudes, magnos ducere gregesque,  
 Et vepres, tribulos, spinas conuelleret ab agris.  
 Occurrunt, plaudunt, cantant, agitantq; choreas  
 Martyrio clari proceres, splendore micantes,  
 Syluicolæ patres, rutilis redimita corollis  
 Virginitas, Princepsq; Seraphque, Cherubq; Tronusq;  
 Arbueso occurrunt patri, psalmosque canentes  
 Ad sedes plausu ingenti gradiuntur euntes.  
 Septima Septembris decima & lux orta tepentis  
 Hæc fuit, æternam per secla datura quietem  
 Mastrepilæ sancto, cælos qui tangere plantis  
 Gaudet, & astrigero expectare ex vertice terras.  
 SALDV B A M nostram, turritam mænibus urbẽ,  
 Atque Epilam, patriosque placet meminisse labores,  
 Æterna dignos palma. Mercede bonorum  
 Celituos intèr ciues donarier omni.  
 Aspectare oculis Christum, dominumque, Deumque,  
 Intuitu facie ad faciem, vidisse potentem,

Et pedibus sacris domini, solioque tonantis,  
 Æternis gaudet, placidisque assistere votis.  
 Egregios cæli proceres miratur, & illos  
 Præsertim sanctos, quoscunque Aragonica tellus  
 Progenit, propterque fidem periere, necemque,  
 Et cælum meruere sibi, vitamque perennem.  
 Martyrium quotquot (vacuatis sanguine venis)  
 Nascentes ut turbo rosas: ut lilia grandæ  
 Sustulit è medio vitæ, transduxit in astra:  
 In similes casus quoriam vis feruida mentis,  
 Impulerat, fidei testemque creauerat ipsum.

Et primùm Mariam vidit, Christique parentem,  
 Reginae cæli sceptro, & splendore decoram.  
 Mox vidit verbi vocem clamantis ad amplas  
 Jordanis Ripas hirsutam pelle cameli,  
 Et Petrum magnum pastorem ad Tibridis undas,  
 Et Paulum & reliquos (fidei primordia nostræ)  
 Hærentes lateri domini, quos misserat omnes  
 Inuulgare fidem populis, conspergere terras  
 Rore salutifero verbi, mundareque limphis.  
 Post vidit puerum meritis rutilantibus, urbis  
 SALDVBAE muris (quos viuens ipse tenellus  
 Incoluit) precibus multis renouare salutem,  
 Pro templo hoc etiàm multas diffundere voces,  
 Æquales interque suos, quos prauus Herodes

Abstulit è medio. Fratres, culmenque, decusque  
 Fluminis Henaris. Guardæ immortale decoris  
 Christophorum lumen. Redimitaq; tempora mitris  
 Raymundi nostri, varijs ornata corollis  
 Taionis, Venti, Brauli, sanctique Valeri  
 Multorumque patrum. Vidit Laurentius ignes  
 Ut præfert. Vincentius ut nigrantia flammis  
 Vulnera monstrabat. Gladios Eurosia, vultum  
 Perque genas roseas conspersa fluenta cruoris.  
 Encratis rigido ut clauo terebrata ferebat  
 Tempora laurigeris radiantia vertice sertis.  
 Innumeri ut Massas monstrant: ut corpora trunca  
 Lambertus, Faustus, Felix, Apodemus ouantes.  
 Millia sanctorum numerum, nèc habentia. Circùm  
 Interfecti agni sedem volitantia, palmis  
 Æternis donata simul, fruitura quiete  
 Æterna, dominum visura, in sæcula seclum.  
 Intereâ præsul, ciues, urbs tota sepulchro  
 Mastrepilæ intendit. Multo deflere paratu  
 Metropolis mortem voluit. Nec visa vetustis  
 Patribus, Arbuesi sancti celebrare trophea.  
 Exequijs lachrimare pijs, & funere grandi.  
 Occurrunt populi, numerusque immensus acerbi  
 Funeris, & tumuli testis, quo pignora sacra  
 Condantur celebri pompa. Nec fama superstes

Arbueso patri desit, cui nomen in ævum  
 Æternum peperit mors constans, clara triumphis  
 Martyrij. Perstent etiã alta mole sepulchri  
 Virtutis monumenta piæ: & supremus haberi  
 Reliquijs ut possit honor, quo funere nostri  
 Ad similem palmam populi, laudemque vocentur.  
 Ergo sepulchrales ritus præsentè Senatu  
 Cæsaris Augustæ, regni, vario ordine gentis  
 Nobilium, & populi, vulgi, clerique canori,  
 Metropolis celebri officio gemebunda peregit.  
 Iam templum in sacrum conuenerat undique plebes  
 Iamquè solum rignum lachrimis, iam sanguine Petri  
 Feruebat rursùm tellus, & murmure rauco  
 Vindictæ ingentes voces signansque, ferensque,  
 Tentabat querulos feruoris vortice motus.  
 Ingemuere diu, tristemq; ad sydera (vise  
 Prodigio) gentes fletum missere, minantes  
 Supplicium verpis, ignes, flammæque voraces.  
 Concupiunt omnes sacrum contingere corpus,  
 Alternat clerus noster dum cantica. Magnis  
 Suspirijs tenues auras, & tegmina densans.  
 Mox pendent cuncti, suspensi, ex ore loquentis,  
 Obliti rerum. Tantum cælestia corde  
 Percipiunt, mundi discunt non fidere rebus,  
 Effrenis carnis sæuos restringere motus

Complecti nec opes ſeculi, nec corporis ægri  
 Gaudia ſectari cupiunt, ſed pellere longè,  
 Antifites dum ſacra facit: dum præco ſalubres  
 Scripturæ fundens ſacræ de pectore textus,  
 In populum ſpargit diuini fulmina verbi.  
 Decurrunt lachrimæ, rursùm tonat undique templū:  
 Lingua poteſt tantum, vox vel concinna docentis,  
 Vt fletus, gemitusque ciat, nèc ſegnibus undæ  
 Planctibus, aut ſacro lentefcant flumina cantu.  
 Sic ſacris iam perfectis, poſt funera luctu,  
 Et cantu alterno commixta, reponere corpus  
 Magnifico tumulo, & niueo ſub marmore curat  
 Metropolis, foſſa terra, lapidisque ſuperbi  
 Arte laboratam, & preciſam conficere arcam,  
 In qua condantur clari monumenta trophæi.

Ergo ſepulchrali corpus componitur antro  
 Chriſtiadum more ornatum, quod ſerica velant  
 Ornamenta decora auro, tùm fulgida lino  
 Texta tegunt niueo, clauduntque volumina petra,  
 Et terræ non parua manus, laterisque recocti,  
 Et calcis paries durus, quem vallat, & ambit  
 Multicauus tumulus, curua teſtudine cæcus.  
 Hinc caput extollit moles, ſupereminet ampla  
 Lamina, quæ inſcriptum ſeruet per ſecula nomen,  
 Quæ narret mortis tempus, quæ clauſa ſepulchro

Membra Petri monstret. Donèc suprema dierum  
 Nubiferos montes urat, disperdat & orbem.  
 Hinc surgit moles magna. Omnia nobile marmor  
 (Historiæ Petri positis hinc inde figuris)  
 Contegit insculptum. Truculentæ mortis imago  
 Ad viuum depicta patet. Circundata clathris  
 Marmora visuntur varijs, ornata triumphis  
 Factorum Arbuesi patris. Miracula multa  
 Martyris inuicti. Nusquam numeranda salutis  
 Concessæ populis pendent insignia cære,  
 Argenti rutili, & varij monumenta metalli.  
 Lintea, quæ misero dudum incubuere feretro,  
 Et lini vittæ, fractumque ligamina membrum  
 Corporis excissi, morborum signaq; multa.  
 Namq; Petrus multis miraculis clarus Iberum  
 Aucturus fulget. Viuens veneranda prophætæ  
 Signa dedit, se prædixit multo ante futurum  
 Censorem fidei, quam res ageretur, & almi  
 Officij leges decretæ, ipsumque tribunal  
 Ascriptum sacris causis, & iuribus esset.  
 Et mortem præscisse ferunt, operosa patrasse  
 Plurima. Martyrium celebris Campana Vilillæ  
 (Multa potens monstrare sonis quasi gnara futuri  
 Infortunatos solita, & portendere casus)  
 Ingenti motu, nullo pulsante, sonora,

Ictibus oſtendit multis, qua nocte nefandam  
 Intulit Arbueſo mortem Iudæa, pudendis  
 Artibus horribilis, furiisque agitata malignis.  
 Quid moror? Autores mortis torpedo (quietem,  
 Vel ſomnum potiùs lethalem imitata veternum)  
 Turbauit, mentemque fugato robore fregit.  
 Dumq; fugam rapiunt, cæcatis fuſa repente  
 Luminibus caligo fuit, nec cernere templi  
 Auguſti portas poterant. Iam pectora ſpasmus  
 Lethargi ſegnis, ſummæq; grauedinis horror  
 Ceperat, imbellisque tremor poſſederat artus.  
 Hæſerunt vires, titubant membra, oſſa geluque  
 Obſtupere, & metu exanguis tremefacta vacillant.  
 At poſtquam Petrus cæleſtes ſcandit in axes,  
 Magnifico & corpus tumulo de more ſepultum eſt:  
 Exanguis templi lapides ſeruafſe recentes,  
 Per multosque dies, ſacrati ſanguinis undas,  
 Purpureas ſeruafſe roſas, iterafſe liquores  
 Feruentes motus, certum. Repetiſſe cruenti  
 Martyrij immanes pœnas, torſiſſe nefandos  
 Carnifices, quocunq; pedes, turbataque corda  
 Vertere curafſent. Donèc, tormenta, recluſi,  
 Tortorumque manus rigidas, & vincula paſſi  
 In fumos, flammæſque truces abiere peruſti.  
 His ita confectis, cæleſti in ſede coruſcus,

Æternam viuens vitam post fata beatam,  
 Contemplans mundum Petrus, patriamq; relictam,  
 Exequias tristes, quam tristitia liquerit arua  
 Metropolis, Regni, atque Urbis, quam triste tribunal  
 Causarum fidei, quantis plangenda querelis  
 Funera liquisset: iam solaturus amicos  
 Lumina ad hos terræ uertens radiantia tractus,  
 Fulgenti è cælo uenit telluris in oras.

Blasclus erat Galbez uirtutis honorque, decusque  
 Vir bonus, & rectus sacrisque dicatus, & aris  
 Ordine, doctrina, officio seruire paratus  
 Præbyter. Astriferas prauis concludere portas,  
 Et reserare pijs solitus, qui Aquilonica rura,  
 Atque hortos sacros diuino semine uerbi  
 Ditabat uirtute, exemplo, & munere sacro.  
 Hunc sanctus martyr, redimitus tempora sertis  
 Martyrij, zeli, & doctrine fulta coronis  
 Sæpius inuisit, luctum sedauit amici,  
 Curauit morbum Blascli per membra tumentem,  
 Hernia quem multum vexarat iniqua dolore.  
 Inde reuelauit sanctus Mastrepila Galuo  
 Causarum fidei solio uentura futuris  
 Temporibus multa & magna, admirandaq; semper  
 Iura tribunalis sacri, legumq; sacrarum  
 Illius, ueneranda pijs, prauisque tremenda,



*In ſeculum manſura. Bonum ſolamen, & orbis  
 Chriſtiadum columen firmum, murumq; futura.  
 Inſuper & Reges qui conſtituere tribunal  
 Errores contra, & ſordes & crimina mundi  
 Aeternis vitæ palmis, pulchriſque coronis,  
 Et magnis cœli fruituros ſedibus alti.  
 Nil quoniã gēſit viua prudentia cultis  
 Vtilius terris, ſuperis aut gratius unquam  
 Quam reperire modum, ſæuum quo dogma nefandæ  
 Hæreſeos pœnas lueret pro crimine dignas.  
 Queis dictis martyr, rutilis fulgentior aſtris,  
 In cœlum fertur, Blaſco ſpectante, coruſcus.*

*Curatur Mutus.*

*Berlangæ Domini natus, ſobolesq; nitore  
 Purpureo Ambroſium referens per pulchra decorem,  
 Et generis tanti quæſitam ſanguine famam,  
 In templum venit noſtrum: ſi fortè ſepulchrum  
 Martyris Arbueſi patris detracta loquelæ  
 Organa donaret, quibus & viduatus àb ortu  
 Naturæ vitio fuerat, mutusque creatus.  
 Vix ergò ad tumultum iuuenis peruenerat æger,  
 Incipiens precibus, manibusque in celfa ſupinis  
 Corde vocare Deum, proponere clauſa ſepulchro  
 Oſſa Petri Arbueſi. Meritis & martyris almi  
 Poſcere verborum vires, atque ora nouari;*

Omnipotens versis quando in contraria causis,  
 Gutturum grandisono replevit nomine IESVS,  
 Quod cælum, quod terra tremat, quodq; astra tremiscunt,  
 Et iuueni redeunt confestim munera lingue,  
 Et, quæ naturæ morbo substantia vocis,  
 A matris partu, fuerat sublata sonora.

Sanatur miraculosè paralyticus.

Ipse triennali fuerat Monzone Domingus  
 Tempore, vexatus morbo paralysis, & acri  
 Brachia torporis tabo contracta perennis,  
 Cruraque longæuo multùm concussa dolore  
 Inualidis sustentans pedibus, poplite molli  
 Tardigradas suras: velut incrustata gelatis  
 Flumina vorticibus, retinens immota recuruo.  
 Ast interuentu Petri sanatus abiuit  
 Exultans, carpensque viam, præconia laudis  
 Diuinæ, Petrique patris super æthera tollens;  
 Viribus ut gelidos sensit recalescere nervos,  
 Auctore Arbueso, & corpus reparasse salutem.

Lucia Pontis paralytica curatur.

Lucia Pontis iners membris, languebat acerbo  
 Per multos menses morbo. Nec morbida nervis  
 Inualidum corpus poterat versare, quousque  
 Ad sacrum tumulum Petri perlata repente  
 Vidimus exangues letam abiecisse dolores,

*Membraque confectim motus cepiſſe ſuaues.*

Curatur miraculoſè Petrus Terronus.

*Terronus ciuis SALDV BAE & cultor agrorum*

*Dum legeret dulces cruſtata pelle iuglandes*

*Incautus cecidit ſublîmi ex arbore truncus.*

*Quo caſu attritum corpus, per quattuor annos,*

*Et fractum dorſum tenuit, quò brachia fractis*

*Oſſibus, inualidos tenuere propè oſſa lacertos.*

*Sic triſtis venit, viſurus tecta ſepulchro*

*Membra Petri Arbueſi, faculas & lumina multis*

*Aucturus precibus, queis immedicabile vulnus*

*Aufugit linquens hominem. Per membra ſalubres*

*Inſtillans flatus oratio ſancta negatos,*

*Senſiferiſque medens neruis, motuſque datura*

*Vitales homini, curſuſque auctura valentes.*

Simon Esperunus Sadenſis curatur.

*Sadenſem Medici, Medicamina & atra Simonè*

*Vix viuum linquunt hominem, lectoq; cubantem.*

*Officijs viduata ſuis concuſſa iacebant*

*Brachia, crura, pedes, coſtae, ſegneſque per artus*

*Noxia detortos curuabant vincula neruos.*

*Hunc Petrus noſter (commotus voce precantis)*

*Robore firmavit membrum, tum corpore ſanum*

*Conſtituit, proprijs dum fecit vadere plantis*

*Infirmum, magnas fundens per viſcera vires.*

Athanasius Palacius mirabiliter curatur  
morbo infanabili.

*Saldubæ natus primis Athanasius annis  
Mellitusque puer, morbo cruciatus acuto,  
Hernia quem ruptis ambabus partibus ægrum  
Fecerat, & magno torquet, diroque dolore,  
Ad tumulum Petri Arbuesi portatus, amicam,  
Effuso risu lætus, per membra salutem.  
Senserat, inspersam magna virtute sepulchri.  
Accedens fugiebat morbus, sæua recedens  
Hernia torquebat puerum, rursumq; peribat  
Infirmus, rigidi torquentes rupta tumores.  
Quaproptèr patres natum portare frequentèr  
Ad tumulum sancti soliti, casu hostia templi  
Inueniunt noctu venientes clausa, nec ipsos  
Sacristas, voces pueri clamantis, & acri  
Ploratu miseræ tollentis in astra querelas  
Audire. Intentus precibus Palacius, altis  
Vocibus Arbuesum clamat, quo nomine morbus  
Audito fugit trepidus, perfectæ salutis  
Admittens corpus pueri fomenta tenelli.*

Puella paralitica miraculosè curatur.

*Venerat ad tumulum morbo confecta vetusto  
Incedens ægris pedibus, siccisque puella,  
Ipsa gemens, tremebunda, preces fusura, caducis*

Membrorum vinculis impetratura ſalubres  
 Spirituum vires, ligni liſtura perofos;  
 Queis veluti pedibus graditur ſuffulta vacillos.  
 Circundat tumulum, faculas, & munera votis  
 Addidit, & precibus deuotis nixa repente  
 Effecit ſanam Dominus prece martyris illam,  
 In priſcum corpus componens motibus uſum,  
 Membraque reſtituens infirmis florida neruis.

Paralitica miraculoſè curatur.

Anna Maria Bolas, morbo paralysis iniquo,  
 Non paucis fuerat dirè cruciata diebus,  
 Cuius cuncta malus membrorum munia torpor  
 Soluerat, inualidos, abſumptis uiribus, artus  
 Diſcrucians. Sæuum inſtillans per membra rigorem  
 Ergo venit fratris noſtri veneranda beati  
 Pignora Maſtrepilæ ſupplicis uisura, gemensque  
 Ingentem tumulum, celebremque: ut ſacra piorum  
 Cælituum ſolitum eſt venerari buſta ſacratis  
 Votis, & precibus multis celebrare, uiroque  
 Prodigijs claro diuinos reddere honores,  
 Martyre, & à tanto uitæ impetrare ſalutem.  
 Hanc igitur tumulum circum curſare uolentem  
 (Perque dies aliquot diuino ferre ſepulchro  
 Lumina, deuotis circundare funera ſignis,  
 Accenſis faculis, precibus pulſare benignis

Celsa Dei, Christique patris subsellia ) Petrus  
 Absolvit morbo miseram, sanamq; fugato  
 Constituit languore patri, dum & iuida nervis  
 Reddita consedit solidato corpore virtus  
 Membraq; Mastrepilæ senserunt dona beati:  
 Poscenti dabitur quoniam, conclusa patebunt  
 Hostia pulsanti, foribus pandentur apertis.  
 Ioannes Solorzanus vulnere gutturis, & filius  
 eius Hærnix morbo mirabiliter curantur à

Sancto Mastrepila in somno visitati.

Cæsaris Augustæ civis, Solorzanus olim  
 Qui dictus fuerat, morbo tentatus acerbo  
 Gutturis, ex magno procedens vulnere, (quod diu  
 Vexavit torquens hominem feruore veneni)  
 Diuinum Petrum supplex orabat: ut ipsum  
 Curaret, puerumque suum, quem noxia grassans  
 Hernia torquebat miserum, membrumque tumores  
 Replerant morbis multis, querulusque, vigilque  
 Ipse dolor crucians nimium violentus, & acer  
 Torserat, & fuerat variorum causa laborum.

Nocte igitur quadam possessus membra sopore  
 Urgetur monitis ager, visuque patenti  
 Mastrepilæ sancti. Curatum & tabe nigranti  
 Infirmumque virum, sobolem quoque robore multo  
 Vidimus, expulso morbo, firmasse iuventam.

Quid moror? enarrans nuſquam numeranda guarifmis  
 (Guttura ſi centum dentur mihi, ſi oraque centum  
 Millia, centenſis linguis ornata ſonarent)  
 Maſtrepilæ ſancti miracula? quid moror? hæc eſt  
 Paruula pars. Sed enim pluſquàm ter mille feruntur  
 Arbueſi fratris noſtri curata medelis  
 Tabida membrorum, moribundùm vulnera neruùm.  
 Nulla dies viduata ſacro medicamine tranſit,  
 Nulla ſepulchrales clathros nudata trophæis  
 Miraclum venit. Cinctoria, vincla, nouaſque  
 Corporis egroti formas, multasque figuras  
 Adducit quæcunque dies, portenta, nouosque  
 Prodigium fructus. Pendent miracula circum.  
 Vnde ſalutiferi vulgatur fama ſepulchri.  
 Ad tumulum veniunt gentes, ipſumque frequentant  
 Vota ferunt lachrimis, candelis, munere multo  
 Conſiſæ Petri precibus, quo vindice ab aſtris  
 Morborum medicina fluit, nèc tempore longo  
 Redditur inualidis robur, viresque, ſaluſque,  
 Auxilium fælix agris. Medicamina vitæ  
 Donantur ſubitis ſucceſſibus. Hernia fractis  
 Curatur, veniuntque reducti in gaudia planctus,  
 Et veniunt ſomnos non deſtructura quietos  
 Ulcera. Pelluntur retracti in clauſtra ſalutis  
 Corporis egroti grandes, ſeuique dolores

Infirmis igitur totus venit obuius æther,  
 Dulcè sonans, & dona ferens, dum munera sancti  
 Mille sonant linguis. Volucris præconia fame  
 Sollicitant hominum mentes, queis dura, fluensque  
 Consumpsit rapiens membrorum robora tabes.  
 Imuisunt tumulum, celebrant, venerantur, adorant.  
 Oscula mille sacris infigunt arte reclusis  
 Marmoribus, clathris, lateri, lapidique, soloque.  
 Plebs cruciata malis certatim fertur, & orans  
 Redditur ex templò miranda in iura salutis,  
 Sicq; mala ipsius morbi, seuique dolores  
 Discedunt magno sancti medicamine pulsa.

Ergo sepulchralem miracula multa mouentem,  
 Circuit hæc molem celebris **SALDVBA** quotannis;  
 Martyrij redeunt Petri dum festa cruenti,  
 Atq; frequens populus succendit lumina circum  
 Innumerae gentes, certa in miracula volantes  
 Aduentant, agriq; fluunt, vicinaque magno  
 Oppida concursu. Lymphis ditata Salonis  
 Bilbilis, illustris Darocaque munere cæli,  
 Montani populi, Barbastrum, Iacca niuosis  
 Vrbs præcincta iugis. Turiaso nobilis undis  
 Fontanis. Necnon titulis celebranda decoris  
 Ergauica, & resonis nobis pingenda camænis  
 Osca parens læuitæ utriusq;, & martyris almi



Laurenti, & Vincenti noſtri. Burgia monti  
 Nubiſero Cauno contermina, nobilis agris,  
 Luna, Vncaſtellum, Sadaba, Exea, Tabuſtum,  
 Belchitum, Fontes, Sariñena, Maella, Cuera,  
 Patria Fernandi Soſium pernobile, Caſpe,  
 Atque Ixar magnum, Petri quod plura decorant  
 Selleræ patris noſtri miracula ſepulchri.  
 Quid memorem reliquas gentes? Cariñena iocoſis  
 Inclyta vinetis. Alago, Seconcia, glebæ  
 Oppida frugiferæ. Memorem fors rura vetuſtæ,  
 Seu veteris Cantæ, Fragæ, Monzonis, & altis  
 Turolium muris, dulcis quod Turia limphis  
 Alluit, & multis ditat fœcunda fluentis?  
 Quod cælum magnis ornavit fructibus, atque  
 Corporibus diuûm Petri, ſanctique Ioannis  
 Ordinis Angelici, Franciſci pignora patris?  
 Farizæ populos referam? placidique Xilocæ  
 Fortaſſis gentes? Caſtellæ teçta, domosque?  
 Nauarræ Regni turbas, quas magna vocauit  
 Sæpiùs ad tumulum pietas? Regumq; coronas,  
 Pontificum, & mitras fulgentes? mille feruntur  
 Totius Regni Aragonum. Iàm corpora morbo  
 Tabida, diſperſis properant curanda maniplis  
 Ad noſtrum templum, peſtem pulſura malignam,  
 Et mortem, febres, hoſtis tormenta, ferosque

*Membrorum morbos, paralysis vincula repandæ.*

*Reliquijs SALDVBA Petri, puerique Domingui  
Et Brauli, Encratidis, Massarum pignore, templum  
Virginis, atq; Agni, Orbitæ, Viridantis, & almi  
Lamberti, innumerum sanctorum munere felix.*

*Te in primis animo toto, & conamine multo,*

*Te Christi Domini memorem, te tempore in omni*

*Esse decet: quoniam monumenta, & pignora amoris*

*Talia, totq; Deus liquit tibi, qualia magnus*

*Vix poterit reperire alia Argus pastor in urbe.*

*Quare age solemnes domino iam grata quotannis*

*Affectu ingenti duc ad sacraria pompas;*

*Præsertim SALDVBA potens hoc tempore sacro,*

*Quo vult Christi adum culmen, pater almus, & altæ*

*Sedis Apostolicæ rector, ( qui iura gubernat,*

*Et leges fidei, mundique patentis habenas )*

*Mastrepilam numero diuum conscribere magno,*

*Miraclum, vitæ, doctrine, mortis acerbæ*

*Martyrij, fideiq; per acto examine longo.*

*Sancte ergo martyr, templi huius stella coruscans,*

*Sol lucens, regni nostratis gloria, lumen,*

*Huc oculos flectes blandos, huc nobile sidus*

*Fulgentes radios mittes, & fulgida puro*

*Lumina distribues, medicato vulnere, cordi.*

*Numquam te immemorem nostri, sedisque relicte*

Metropolis tantæ, fratrum credemus. At ipſi  
 Conſiſi precibusque tuis, ſacraria multis  
 Oſſaque Sanctorum, titulis celebranda beatum  
 Ornamus votis, varioq; iuuamine cæli,  
 Offerimus tenues domino viresque, preceſque.

Petre tuam mortem deſſens Aragonica tellus,  
 Sylueſtres gemuere feræ, gemuere feroces  
 Inuiſi pecori noſtris in montibus, Urſi,  
 Nubiferi colles, lapides, onerata niuiſis  
 Culmina ponderibus, ſacro incubuere feretro.  
 Tunc circumſiluit campus, tunc magnus Iberus  
 Concutiens fluctus, cantauit flebile carmen.  
 Tunc ſubito liquere omnes hæc littora cantus  
 Letitiæ. Tecum linquens hæc rura voluptas  
 Flebimus. Hic aderas. Aderant cantusque, chorique  
 Iuſtitia. Venit longos victura per annos  
 Virtus, mortales ſeruans aſtrea miſellos.  
 Hinc abes, hinc abſunt magnæ virtutis alumnae,  
 Iuſtaq; iura, fori, terras Aſtrea reliquit.  
 Conculcata, ſolum tempſit. Prauo exulat orbe.  
 Ergo pater diuûm conſors, iam tempora fletus  
 Tranſactis abiere malis. Nunc altè ſonantem  
 Iuſtitiam radiare iube. Nunc omnia pompas,  
 Solemnes ritus reparent. Quum Papa referre  
 Diſponit numero ſanctum præconia multa

Nominis Arbuesi, fœlicia facta, beati,  
 Astriferis numerare thronis, numerare tropheis.  
 Neque elementa sonos fugiant, nec cantica condant  
 (Et quamvis spatijs distent, dissutaque fiant  
 Ex ipsis aduersa aduersis) consona gignant  
 Corpora. Rarescant, densentur. Monstra deinceps  
 Non peragant. Lætis conflentur cuncta figuris.  
 Lætetur tellus, fluidas tenuetur in undas,  
 Et ventus frigidus tepidas vertatur in auras,  
 Auraque frugiferos aspiret pura calores.  
 Gallicus horrendus, veniat nunc lacteus amnis,  
 Flexiuagis undis flores, & germina fundat.  
 Diues Iberus agros, hortosque, rosaria, campos  
 Fructibus inspergat, sacri det signa decoris,  
 Offerat, & mentes cœlesti lumine tactas  
 Arbueso patri nostro. Nunc cœlica cantent  
 Omnia dulcifluis, citharaque, & pectine, chordis.  
 Pone libelle modum, ne crassa fortè Minerva  
 Non bene fila ligans, intorto stamine texta,  
 Quum decuit serico duci, ornamenta fatiscant  
 Rugis. Fiscellæ gracili texantur hibisco.  
 Diuinum verò hunc lector venerande triumphum  
 Arbuesi patris, cantatum versibus, æquum  
 Accipe, & Arbueso precibus, lachrimisq; patrono:  
 Ut sancto, ut magno, ut patrique hærere cura.  
 Finis libri quinti.

D. D. L V D O V I C O  
 B L A S C O , O R D I N I S M I L I -  
 T A R I S V I R G I N I S M A R I Æ D E  
 Montesa Equiti excellentissimo, Re-  
 gioque Consiliario, in supremo  
 Aragoniæ Consilio.

*D. Vincentius Blascus de Lanuza Canonicus Pœni-  
 tentiarius Cæsaraugustanus. S.*



P V S Peristephanon de Coronis,  
 & triumphis Sanctorum Arago-  
 niensium, quinque libris conten-  
 tum, quod nupèr in lucem edidi  
 (Ludouicè clarissimè) Ecclesiæ  
 Pontifici maximo dicaram: ut  
 canonizationi beati Petri Arbuesi, (de qua nunc  
 apud sanctam Sedem Apostolicam diligentissimè  
 tractatur) pro modulo meo aliquid deferrem, &  
 tanti martyris historiam, martyrium, & miracula  
 iudicibus in causa canonizationis, lectoribusq; &  
 toti Ecclesiæ Dei, breui compendio conclusa, &  
 descripta condonarem. Quum autèm, dum illud  
 opus prælo mandabatur, de eodem argumento,  
 vario carminum genere librum composuissem, in  
 quo Hymni, Epitafia, Epigrammata, & Elogia in  
 laudem

laudem beatissimi istius viri continebantur; non  
 abs re alienum duxi eundem nomini tuo conse-  
 crare. Primum ut opus quod à me compositum  
 fuerat, & in quo Petrus Blascus, Vincentius Blas-  
 cus iunior, ingenij primitias obtulerant Ludoui-  
 co Blasco primario Blascorum viro, & patrono  
 dicaretur, & quod intermissionibus, & cæsuris  
 velut varijs scribitur, studiosissimo viro; multis  
 quamquam negotijs occupato, propter poematū,  
 & carminum breuitatem (quæ inter multas etiā  
 occupationes legi poterant) legendū, & corrigē-  
 dū offerretur. Quibus secūdo accedit (quod ipsa  
 natura cōparatū videtur) ut posteriores cōceptio-  
 nes animi, prioribus dulciores videantur, ob idq;  
 aptissimæ, quæ dulcissimis amicorum nominibus  
 consecrentur. Ipse enim amicitiam nostram ex  
 optimis, initijs ortam, & profectam, cum literis, &  
 assidua mei recordatione sepius aluisti, tum mul-  
 tis amoris signis, summisque erga me studijs am-  
 plicasti. Hunc ergo libellum, velut amicitiaē no-  
 stræ futurum sempiternum testem, tuo nomini li-  
 bens dico, consecroque, quô illius paruitas mul-  
 tum crescet, & accessione tanti nominis incre-  
 menti plurimum accipiet. Fortunet tibi Deus  
 omnia, & foelicitatis æternæ participem faciat.  
 VALE.

Cæsaraugusta. Idibus Sept. 1623.

LIBER VNICVS  
DE LAVDIBVS BEATI  
PETRI ARBYESI, VARIO CARMI-  
num genere compositus à D. Vincentio Blasco  
de Lanuza, Canonico Pœnitentiario Cæsarau-  
gustano, Sancti Officij Consultore Theo-  
logo, Hospitalis Regij Quin-  
que viro.

Hymnus primus de vita, & miraculis Sancti  
Mastrepilæ.

**P** Angat auratas, feriatq; chordas,  
Nunc chorus noster, celebret beati  
Pauca de multis referens, canensq;  
Cantica Petri.

Emicat sertis, radiat coronis  
Gloriæ martyr placidus, sublimis,  
Inter æternos superum triumphos  
Inclytus Heros.

Audiant gentes, mare, terra, cælum,  
Audiant surgens, volitans, cadensque  
Sol Petri laudes, meritosque honores,  
Nomen, & acta.

Ossa, quæ nigra tumuli sub umbra  
 Condita, ignaros populos latebant,  
 Noctæ discussa redeunt amicas  
 Orbis in aures.

Nam voluptatum, gelidæque victor  
 Mortis; & recti, fideique lumen,  
 Martyr euasit celebris, soloque  
 Magnus, & astris.

Huic pater summus, miseratus orbem,  
 Magna concessit placidæ salutis  
 Dona, & exculto tumulo potentis  
 Munera cæli.

Hernia immitis recipit medelas,  
 Membra curantur renuente tabo  
 Ora iam, linguis recinunt solutis,  
 Cantica, & Hymnos.

Hic feros sanat capitis dolores  
 Reddit, & lucis radios pupillis,  
 Putridas siccat, fragili tumentes  
 Corpore, partes.

Fracta rupturis prece martyr almus  
 Fouit: ut cæli meruit fauores,  
 Et potestatem super ægra mundi  
 Membra caduci.

Ergo languores varios repellunt,



Conferunt robur, tribuunt salutem  
Morbidis nervis medicantur alti

Saxa sepulchri.

Sic potens Petrus celebrisque martyr,  
Impetrat vires populis, & amplos  
Ciuibus nostris, superique plenos

Luminis, haustus.

Sancta poscentes homines benignè  
Adiuua, incultas moderare mentes,  
Ut Petri obtentu patuisse nobis

Æthera credant.

Te Deus cæli pater atque princeps,  
Te chorus noster recinens adoret,  
Teque in æternum precibus, pijsque  
Laudibus ornet. Amen.

Hymnus secundus de laudibus Sancti Mastre-  
pilæ. D. Blascus.

**M**artyris Petri canimus trophea,  
Annuum tempus venerata, cuius  
Gens Iberorum precibus frequentat  
Clathra sepulchri.

Ipsa concursans reueretur, ambit,  
Circuit molem tumuli, nèc ipsas

Lampades flammis viduat, vel aras

Fervida votis.

Supplici voto rogitant, precantur

Arbuesum omnes, resonant fluentes

Lachrimæ, & voces; gemitus ut orti

Sydera flectant.

Tempfit hic mundi fragilis nitorem,

Reddidit nudis alimenta multis,

Fert opem claudis, miseratus ægros

Cuncta rependit.

Morte mulctatus, stabili tenore

Cordis incensus, fideique dono

Victor evasit, moriensque martyr

Fertur ad astra.

Ipsè tunc sanguis lateri, soloque

Fervidas fusus reuehens querelas,

Ense Iudæos rigido necandos

Mussat, & inquit.

Ipsa telluris facies recuruis

Motibus feruens, repetit cruentas

Sanguinis pœnas, sceleris secures

Urget, & ambit.

Sicque Iudæi, stygiæ nephandi

Conscij culpæ, pereunt cathenis,

Ignè & absumpti, validisque flammis,

Crimina pensant.

Ne diù verò latebris sepulchri  
 Petrus ignotus lateat, patrata  
 Signa sparserunt operum piorum  
 Facta per orbem.

Spargitur fœlix, volucris per omnes  
 Orbis inflexi placidos recessus  
 Fama miraculum celebrans, loquensque  
 Dona Volatu.

Ergo sit patri decus, atque virtus,  
 Et simul nato, pariterquè summo  
 Pneumati; magnum dederit quòd istum  
 Martyra nobis. Amen.

Hymnus tertius de Laudibus S. Mastrepilæ  
 eiusdem Autoris Vincenti Blasci.

**C**Hriste fulgentis dominator orbis,  
 Et Dei patris generatus ore,  
 Qui regis solus radiata, summos  
 Lumina, & axes.

Cerne quàm dirè Petrus Arbuesus  
 Martyr, & Doct̃or rigidis nefandùm  
 Ensibus truncus, iacuit sub isto  
 Tegmine templi.

Cerne quam multis veneranda plectris

*Festa concurrunt patris Arbuesi,  
 Qui fide, & verbo radians, ouansque  
 Æthera calcet.*

*Martyris tanti gemuit dolores,  
 Terra dum tangit nitidum cruorem,  
 Moxque mussantes querulo susurro,  
 Sanguinis undas.*

*Cerne quàm multis celebratur urna  
 Gentibus, circum redimita turbis,  
 Magna quæ portant medico sepulchro,  
 Serta salutis.*

*Hinc pedes pendent oculi, manusque,  
 Crura cum suris, hominesque pendent,  
 Pulchra mirandis referens imago  
 Gesta figuris.*

*Hinc salus regnat, medicamen ægris  
 Lumen, & cæcis datur atque mitis  
 Ora laxantur, tremor, atque torpor  
 Pellitur artum.*

*Hinc sacrosancti tumuli rotatus,  
 Vota, candelæ repulere morbos,  
 Viribus motus moribunda captant  
 Membra salubres.*

*Hinc fugit febris, tremulis amara  
 Motibus, tabes miseros per artus*

*Fusa, dimittit maculas, & horret,  
Corporis æstus.*

*Hinc dolor seuus, fluidi tumores  
Ecce curantur, medicante Petro,  
Hinc tremens dæmon fugitat remotas  
Toruus ad umbras.*

*Hinc meum carmen recinat parentem  
Hymnus, & natum pariterque summum  
Spiritus Sanctum resonent, canantque  
Clerus, & orbis. Amen.*

Hymnus quartus Petri Hieronymi Blaschi, è  
Societate I E S V.

**F***Ructibus, qualis, folijsque diues  
Fluminis ripas propè defluentis  
Arbor exurgit peramæna ramis,  
Aera nectens.*

*Fixa radices onus imminentis  
Sustinet molis, grauidumque pondus,  
Et caput tollens quatit, explicato  
Vortice, nimbos.*

*Hanc nèc armatus Boreas minaci  
Grandine, aut cori domuere seuæ  
Flamina, aut vodus superavit Auster,  
Nauticus hostis.*

*Hanc*

Hanc vel hiberno fluvio tumentes  
 Dum rotat cautes, silicesque torrens,  
 Non tamèn plantam valuit tenacem  
 Vertere ab agro.

Temnit hæc canas hiemis pruinas,  
 Despicit lapsi phaetontis ignes,  
 Nec niues horret, quibus ense tristis  
 Sævit Orion.

Non secùs crescit Petrus Arbuesus  
 Immò radices, validasque vires  
 Fundit occultas, ubi crescit ater  
 Turbo laborum.

Rore fœcundus superum cadente  
 Protulit fructus pietatis almos,  
 Protulit fructus, quibus abstulisset  
 Nigra venena.

O, quot obscuras Acherontis atra  
 Cimba voluisset miseros per undas,  
 Quotq; strinxissent peritura nunquam  
 Vincula mortis.

Arboris dulcis nisi fructus huius  
 Pelleret tabem, scelerum fluentem,  
 Et febres sævi calidas amoris  
 Corde leuaret.

Quæ foret tandèm moritura nunquam

*Ecce frondosis spoliata virgis  
Subiacet verpitrerici cruenta,  
Ista securi.*

Magistri Marci Antonij de Salazar Hymnus  
de Laudibus D. Petri Arbuesi, Primi Inqui-  
sitoris in Celtiberico Regno, à Iudæis  
vulneribus confossi.

**F**irma, quam iecit Populo fideli,  
Esset ut moles, Deus, atque constans,  
Æther ad summum fidei veniret,  
Usque opus almæ.

Quàm Petrum rectè supèr illa surgit,  
Et Petram ponit solidam supernus  
Artifex totam machinam futuræ  
Religionis.

Non es ab nostrum similis Priori,  
O decus, Martyr generose, Et illi,  
Hæc Petre exurgit veneranda moles,  
Quem supèr unum.

Auspice inceptum, Duce te secundum  
Cedet inuitoqué, dolente Apella  
Eia Thebarum Comes hoc adito  
Nobile Echion.

Condito Proles Iouis, & sacratis  
 Legibus, Cælti (genus unde) Iberos  
 Ducis Amphion, resonet amœnum,  
 Barbiton illas.

Stemma sit clarum, decus atque Codri  
 Instar, in bello cadere antè inermem,  
 Quàm tuum prædam recutitus hostis  
 Iactet opimam.

Æggide instructus fidei chimeram  
 Vincis Hæbrei scelus, atque recnas,  
 In caputquè eius resilit bipennis  
 Quam tibi sumit.

Namq̄, dùm cæca furibundus ira  
 Ingruit numen facile imprecantem,  
 Et mori credit, superos locavit,  
 Te rudis intèr.

Cædis inque illa cadis ipse arena  
 Victima infirmis ubi, certa cunctis,  
 Ramice, & multis alijs medela  
 Redditur istic.

O gregis Pastor venerande, Alipte,  
 Qui pij insignis, stadio reportas,  
 Et decus summum generique, genti,  
 Stemma fidei.

Cui triumphanti patet, & Tonantis,



*Limen, occurrit generosus atq̄  
Ordo, diuinos modulans trophæos,*

*Gesta, tuosq̄.*

*Lumina hûc uertas, boat atq̄ laudes,*

*Quas tuas supplex mea Musa opimas,*

*Et preces audi Petre, legis almæ*

*Inclyte Vindex.*

Eiusdem Magistri Marci Antonij de Salazar, in  
laudem beati Petri Arbuesi Panegyricum  
Carmen.

**C***Hristicolæ gentis Dux, atq̄, Assertor ouilis,*

*Quem seruare pij te decet almæ Petre:*

*Siste Aquilas, fidei ueræ hîc, & signa locato:*

*Mille, triumphantis more, uehêris ouans:*

*Prælium inis faustè, in stadium descendis, & instâr*

*Androgei, palmam uicta caterua dabit:*

*Sæuior insurgat Iudaica Sarmate Codro,*

*Gloria fulgebit, stirps, magis eius adhûc:*

*Ismarium cætus Bacharum occidat amœnum;*

*Maçtet & Erigones ebria turba patrem:*

*Hibridaqué insidias hîc tendatque, ille bipennem:*

*Concubia arripiat iàm tibi Apella furens:*

*Nautica conspiret simul &, tractabis Arion*

*Auriculis fidei dulcis, ut antè, fides:*

*Eià operi ingenti Thæbarum accingitor illi,  
 Alter Aguenoreum qui genus usq̃ feras:  
 Excubias, & agas patriæ de vertice summo,  
 Vrbs es ubi, genti ritè locatus, Athos:  
 Hoc uti terrarumq̃ ostento Sostratus ignes  
 Ostende, & cursus dirige quaq̃ ratum:  
 Eccè, per insignis populi tua gesta fidelis  
 Mirantis, clarusque, ora ferere Petre:  
 Harmodio nec eris minùs assertore beatus,  
 Non & Achemenio, res referente suis:  
 Utpotè prototomos reddis qui primus ad aras  
 Ense cadens fructus, victima grata Deo:  
 Hesione & multò superis, cæloque Micæne  
 Grator, atque magis victima odora Saba:  
 Alta triumphator Iudæa hînc gente Tonantis  
 Ingredere, & diuûm limina, adesto comes.*

## C A R M E N D A C T I L I C U M

in laudem Sancti Mastrepilę Petri  
 Hieronymi Blasci.

*S* Vpplex tonantis dum Petrus Aetheris  
 Corusca replet sydera feruidis  
 Votis, & inuisit quietus  
 Regna poli, superumque sedes,

*Dum iustè in iras numina mitigat  
 Conuersa, adactò viscera sentijt  
 Transfixa ferro, tunc cruentum  
 Corruit exanimis sub ense.*

*O vos nitentem qui colitis polum,  
 Qui vindicatis crimina fulgur,  
 Peccata Iudæi luentes,  
 In cineres redeant iniqui.*

*Diana pigros exagita boues,  
 Et clara cælo collige lumina  
 Dispersa, ne verpus coruscum  
 Aspiciat recutibus axem.*

*O rector altæ deliæ lampadis,  
 Iniusta proptèr funera qui soles  
 Terrere mortales, diemque  
 Clarifica viduare luce.*

*Iudæa proles crimina sentiat  
 Nefanda longo igni pedes, clari,  
 Temone refræna iugales,  
 Nèc radiet super astra plaustrum.*

*Obscura lustrent Regna Acheronticis  
 Confusa flammis, fulmine conciti,  
 In arua Cocyti ruentes  
 Facta luant, meritasque pœnas.*

*Heu pastor agnos deserit; heu dolor!*

*Montum per errant alta cacumina,  
Ad ima prolapsi trahuntur  
Culmine præcipientes ab alto.*

*Vel inter arctos dispereunt lupi  
Dentes, vel ungues tigridis effera  
Agni peribunt, ni supremus  
Pastor agat, pecudesque ducat.*

EPITAPHIA S. MASTREPILÆ  
à diuersis Auctõribus composita, quorum  
nomina Epitaphijs præponentur.

**P**Rimum, & antiquius Epitaphium sepulchri  
est, quod iussu Catholicorum Regum in  
parte interiori super ipsum corpus beati Mastre  
pilæ lapide marmoreo plano superscriptum, in-  
uentum est in apertione sepulchri ex commis-  
sione Apostolica die trigessimo mensis Ianua-  
rij hoc anno 1623. illud est huiusmodi.

*Hic iacet Reuerendus Magister Petrus Ar-  
bues Epila oriundus, huius almæ sedis Cano-  
nicus, hæreticæ prauitatis Inquisitor integerrimus,  
eodem in loco ab hæreticis interemptus,  
15. Calend. Octobris 1485.*

Eius.

Eiusdem sententię est Epitaphium secundum literis magnis in exteriori parte, & suprema sepulchri insculptum, quod vitam, officia, munera, mortem, causam mortis, tempus etiã illius declarat. His verbis.

*Reuerendus Magister Petrus de Epila, huius sedis Canonicus, dum in hereticos ex officio constanter inquit, hic ab eisdem confossus est, ubi tumulatus anno Dñi 1485. 15. Septembris, ex Imperio Ferdinandi & Elisabethis in utraq; Hispania regnantium.*

Post modum verò in fronte sepulchri singulari lapide conscribitur tertium Epitaphium Catholicę Reginę iussu. Sequentibus verbis.

*Eadem Elisabet Hispaniarum Regina singulari in Christum pietate, eius Confessori, seu potius martyri, Petro Arbues, sua impensa, construi, mandauit.*

#### IIII.

Epitaphium Doctoris Vin. Blasci.

*Saldubę magnum decus, admirabile sidus*

*Epila quod genuit, Petrus honoris honor.*

*Hic iacet in medio sedis, quã concidit, undè*

*Ad cęlos volitans, astra beandus adit.*

De Laudibus beati  
V. EIVSDEM.

*Hoc resident tumulo grandi, conclusa micanti  
Mastrepilæ celebris, martyris ossa pij.*

VI. EIVSDEM.

*Pro Christo moriens hîc fudit sanguinis undas,  
Hocque loco perijt clauditur hocque loco.  
Hic sanat morbos sanctus Mastrepila martyr,  
Diuersisque malis morbida membra leuat.  
Cælestis Medicus, qui liberat horrida putri  
Membra tumore pius, ossa dolore bonus.*

VII. EIVSDEM.

*Clauditur hoc tumulo, fulgenti marmore corpus  
Arbuesi illustris, patris & ossa sacri.*

VIII. EIVSDEM.

*Qui quærit grandi miracula mole sub ista  
Littora per lapides, per mare quæret aquas:  
Ipse quidem Petrus Mastrepila, martyr & altis  
Laudatus signis, conditur hoc tumulo.*

IX. EIVSDEM.

*Epila mi patria est Petro, sunt munera libri,  
Verbaq; cum causis, mors decus, astra quies.*

X. EIVS-

## X. EIVSDEM.

*Hic data Mastrepila requies ubi morte peremptus  
 Pro Christique fide, marmore clausus inest.  
 Hicque ubi curantur febres, ubi languida morbis  
 Corpora, redduntur integra, sana pijs.  
 Hic iacet, hic domini seruos solatur abundè  
 Ut pater, ut sanctus, ut pius, utq; potens.*

## XI. EIVSDEM.

*A ventre in studia à studijs in munera venit  
 Cannonicus, Iudex, Doct̃or, qui semina verbi  
 Dispersit populis, causas fideique, sacrique  
 Iura tribunalis rexit. Hoc marmore clausus  
 Martyrio, vita, miraculis, nomine clarus  
 Mastrepila. Egregio ductus super astra triumpho.*

## XII. EIVSDEM.

*Qui celerare preces solitus, tam promptus amicè  
 Curuatis genibus sufficis ipse pedes,  
 Huc animum verte, huc oculos deflecte viator,  
 Hic locus orantem lentiùs ire iubet:  
 Clausus enim Petrus, gelido sub marmore, martyr  
 Occubuit, precibus dum daret ipse moras.*

Licenciati Vincentij Blaschi.

*Conditus hic ego, cui nomen Mastrepila, quemque  
Martyrium rapuit, mors cui vita fuit.*

*Quum semper viuam, semper Mastrepila, semper  
Et vita viuam, & nomine viuus ero.*

EIVSDEM.

*Hic iacet Arbuesus, cuius modo sanguis abundè  
Ferbuit, hocq; solum tinxit, & astra dedit.*

ELOGIA QUAMPLURIMA

beati serui Dei Petri Arbuesi, quæ Autores  
Clasici varijs libris conscripta, & testi-  
ficata reliquerunt.

**M**artinus Garcia Canonicus huius Eccle-  
siae, post beatum Arbuesum ( vt Sanctus  
viuens prædixerat ) Inquisitor electus, Catholi-  
cæ Reginae Confessor, & tandèm Episcopus  
Barchinonensis. serm. 39. sic ait. Non solùm vi-  
uentes, sed etiàm post mortem faciunt miracu-  
la: vt patet de inquisitore beato huius Ecclesiae,  
per intercessionem cuius isto tempore multa fa-  
cit mirabilia Deus. Hic autèm mortuus fuit pro il-  
luminatione fidei Catholicæ: vt sicut duo Apo-  
stoli



stoli in Ecclesia Dei, scilicet Petrus in Oriente,  
& Iacobus in Occidente: sic duo martyres, &  
Inquisitores vnus in Oriente Sanctus Petrus  
Veronensis, alius esset in Occidente. Scilicet Pe-  
trus Cæsaraugustanus, qui mortuus pro fide  
Christi, & sicut sanctus Petrus martyr à hære-  
ticis mortuus fuit: sic iste ab hæreticis interfe-  
ctus, & sicut ille per pecuniã, sic iste est interfe-  
ctus, &c. Rursum sermone 91. si autẽ loquamur  
de dignitatibus huius Ecclesiæ, fuit in ea glorio-  
sus Vincẽtius Archidiaconus, & in generali per-  
secutione omnes dignitates, & Canonici mar-  
tyres, & totus Clerus. Ultimo autem tempori-  
bus nostris, Magister Epila martyrizatus pro  
fide Christi (dum esset Inquisitor hæreticę pra-  
uitatis) in Ecclesia Cæsaraugustana. Et sermo-  
ne 155. ait vt Cæsaraugustæ per hæreticos inter-  
fectus fuisset beatus Petrus Arbues istius Ciui-  
tatis Inquisitor, & videret, quod non in decenti  
loco esset sepultus magnis, & proprijs expensis  
illi sepulturam fieri fecit in medio Ecclesiæ, nam  
erat multum zelatrix fidei Catholicæ. Vbi lo-  
quitur de Elisabet Regina Catholica Hispania-  
rum.

Fabritius Gaubertus historiographus Regni  
Arago-

Aragonix in fine Prologi sic habet. Que diremos del primer Inquisidor de la Fè, que no con solo la lengua, mas con la sangre, la persona, y la vida, defendio la grã Catolica verdad de la Fè, que martyr fue, y tan magnanimo, que a manos de los hereges, consta que murio en la mitad de la Iglesia mayor de Çaragoça: y rezandose el officio diuino Mossen Pedro de Arbues, que fue tan limpio, fijo dalgo, Sacerdote tan santo, y deuoto maestro en Theologia; tan enseñado Canonigo Regular, tan venerable, tan sabido, y especial Predicador, tan constante, magnifico, y excelente Inquisidor de la Fè, que saluo, con la esclarecida corona del illustre martirio, no salio de su officio, &c.

Ioannes Trullus in lib. i. ordinis Canonico-regularium sic loquitur de venerabili Petro Arbueso. Præterea magister Petrus Arbuesius Epilensis Theologus, & hæreticæ prauitatis Inquisitor in eadem Metropolitana sancti Saluatoris à Neophitis, & Iudaismo occisus, miraculis etiam clarus conspicitur.

Hieronimus Çurita insignis Aragonix Historicus, tomo 4. Annalium, anno 1485. cap. 65. libri vigesimi, vbi per totum caput maximis

Encomijs, & laudibus Hispano sermone, historiam, vitam, virtutes, mortem, & miracula istius sancti viri, profequitur.

Ioannes Mariana è Societate Iesu tomo 2. lib. vigesimo quinto, cap. 8. historiam martyrij beati Petri Arbuesi eleganti stylo, & narratione conscripsit.

Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, in lib. cuius titulus est Dialogos de las Medallas, inscripciones, y otras antiguedades, loquens de Cāpana miraculosa Villile illustrem mentionem de martyrio beati Petri Arbuesi fecit, dicens per se ipsam, nullo mouente multis, & varijs ictibus, tēpore illius mortis sonuisse.

Ludouicus Paramus de origine Inquisitionis libro 2. titulo 2. cap. 8. multa de inquisitione istius Regni, & de morte, martyrio (venerabilis Petri Arbuesi, quem sanctum inquisitorem, & sanctum martyrem vocat, & multis laudibus effert) historiam scripsit. In calce autem illius capituli sic loquitur. Sancti autem Petri Arbuesi de Epila corpus ea reuerentia, ac cultu adorari incepit, quæ cuilibet Ecclesiæ sancto exhiberi solet. Et vigesimo octauo mensis Septembris sequentis anni, eius exequiæ, ita celebratæ sunt,

vt cuilibet videretur magis solēne alicuius sancti festum. Et multa alia ad honorem sancti spectantia, ibi Paramus addidit, quæ sunt notatu dignissima.

Ioannes Berçosa ciuis Cæsaraugustanus Encomium martyrij composuit in laudem beati Petri Arbuesi, in quo etiam epitaphium de illius laudibus, & epigramma non vulgare de illius miraculis obtulit anno 1538.

Fr. Ioannes Marieta lib. 22. fol. 16. loquens de ciuitate Cæsaraugustana, his verbis de beato Petro Arbueso loquitur. Está tambien en la Iglesia mayor desta ciudad el cuerpo del Maestro Epila martyr, que fue Inquisidor, y padeciò a manos de hereges.

Ioannes Ginesius de Sepulueda, vir eloquentissimus in libro, de bello administrato in Italia per quindecim annos ab Illustrissimo Cardinali Albornozio Innocentij Sexti Legato. fol. 46. sic de beato Petro Arbueso, & illius virtutibus conscripsit. Sed cum cæteros, qui antè hanc memoriam florere ex industria taceam, ne tot virtutes, & præclaram sapientiam, tanta breuitate, tamq; iniquis spatijs cohercendo in plurimos, eosdemque summos viros iniuriam videar intulisse,

lisse, vnum signo flagitio præterire non posse videor, qui non doctrina tantum, & sanctitate viuens excelluit: sed mortuus etiam magis, multisque miraculis claruit Petrus Arbuesus. Hic est, qui vulgo magister Epilæ vsurpatur, qui fuit sacræ doctrinæ magister, & Epilæ Castello (id nomen est in agro Cæsaraugustano) natus. Qui cum ob sapientiæ opinionem, & parem morum sanctitatem in ea ciuitate iudex, vindex que hæreticæ prauitatis factus esset, tam constantè, tam seuerè, tam denique religiosè crimen hoc scrutabatur, & vindicabat, vt summam in se hæreticorum inuidiam concitauerit, &c. Prosequitur Sepulueda, & historiam, & martyrium beati Petri Arbuesi elegantissimè eo loco depingit.

Stephanus Garibaius libro 14. capitulo vigesimo sexto Compendij historialis sic de venerabili Petro Arbueso sermonem instituit. Toda España sabe, la santidad, y marauillas del bienauenturado, y santo varon el maestro Pedro de Epila Inquisidor Apostolico que està enterrado en la Iglesia mayor de la ciudad de Çaragoça, por cuyos meritos obra nuestro Señor grandes marauillas en sus siervos, &c.

Andreas Peregrinus in sua Hispaniæ Bibliotheca tomo 1. capite 5. folio 103. vbi de Cæsaraugusta loquitur, addit in fine. Seruatur in summa æde magistri Petri martyris corpus, cæssi ab hæreticis. Et tomo 3. loquens de collegio Bononiensi, citat Ginesium de Sepulueda, & eisdem verbis, quibus ipse Ginesius, multis Encomijs Petrum Arbuesum extollit.

Alphonfus Venerus in suo temporum Manuali, seu Enchiridio folio 153. sic de hoc venerabili viro loquutus est. El cuerpo del Bienauenturado Maestro Pedro de Epila Inquisidor (el qual auia sido muerto de los Conuersos: porque era Inquisidor) es ilustrado con nueuos milagros en su sepultura, que es en la Iglesia mayor de Çaragoça.

Doctör D. Martinus Carrillo Abbas Montis Aragonum in libro 5. Annalium Chronologicorum folio 379. longum, & elegantem de beato Petro Arbuelo sermonem habuit. Rursum idem Auctör de eadem re sermonem instituit in libro Sancti Valerij folio 274. satis copiosè, & eleganter. Et denique in libro antistitum Cæsaraugustanorum impressum Calari anno 1611. vbi enim Hittoriam Alphonsi Secundi

cundi Archiepiscopi Cæsaraugustani conscribit hæc verba de beato Petro Arbueso subjecit. Petrus Arbues de Epila Canonicus, ac sancti Officij Quæstor, prudentia, ac pietate insignis à nefarijs Iudæis iustà chorum in tempesta nocte, orans occiditur, ac in eodem loco honorificè sepultus, claruit miraculis.

Hieronimus Blancas nostrarum rerum, elegans, ac diligens scriptor in historia Regis Catholici multa verba, & quidem eloquentissimè de beato Petro Arbueso fecit, quem quidem vocat virum iustum, & optimum, singulari bonitate, & modestia præditum, sacris literis, & doctrina excultum, sanctissimum, innocentissimum, &c. Eiusque historiam fusè prosequitur, & varijs scripturis authenticis illius veritatem testificatur.

Omitto quæ frater Didacus de Murillo, frater D. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus 4. parte historiæ S. Dominici Doctor Petrus de Medina in libro *De las grandezas, y cosas memorables de España*, capitulo 154. Doctor Don Ioannes Britius Abbas sancti Ioannis. Frater Rodericus Yepes Hieronyminianus, in tra-

& statu terræ Sanctæ cap. 3. Michael Martinez del Villar in supremo Aragoniæ Consilio Regens in lib. patronatus Bilbilitani. pag. 513. breuiter quidem sed elegantissimè de beato Petro Arbueso hæc verba facit. De aquel santo varon Maestro Epila de Arbues, Inquisidor de Aragon, cuyo valor y virtud, vida y muerte ( pues murio martyr por la defensa, y propagacion de la santa Fè Catolica ) hizo famosa su patria. De eodè sancto Ludouicus de Torres, postea Cardinalis initio epistolarum Ioannis Verzosæ mentionem fecit. Item Guadalajara noster, in libro Expulsionis parte 2. cap. 1. & 4. Pontificali. lib. 10. cap. 5. D. Don Ludouicus Sarauia huius sanctæ Ecclesiæ Canonicus in tractatu de iudici- bus adiunctis ordinario.

Omitto, quæ ego ipse varijs locis operum meorum soluta oratione, versu etiam, conscripsi de laudibus sancti Mastrepilæ, quæ nunc hoc poemate ( sicuti etiam in libro de illius vita, morte, & miraculis patriæ, & Regno Aragoniæ vulgari, & diffuso sermone composito ) conclusi. Mitto etiam alios Auctores quam plures, qui de hac re multis verbis in manu scriptis, vel etiam in lucem editis libris, copiosè, diligenter, & eleganter



ganter tractauerunt, vnum tamen ex multis absque culpa silere non possum, Martinum Azpilcuetam Nauarrum, operum tomo 2. Commentario tertio, vbi de Canonicis Regularibus Ecclesie Pampilon. & Cæsaraugustanæ breuiter loquitur, & fallitur sic dicens. *In quibus à tempore immemoriali sic viuunt, & in quibus vixerunt nostra etate & antè illam, viri tam iuris diuini, quàm Pontificij callentissimi, & vita integerrimi. E quibus fuit ille beatus Martinus, qui Legionè in valde illustri Monasterio pro sancto colitur, & ostenditur. Et celebris ille Magister Epila miraculis clarus in monasterio S. Mariæ del Pilar præfatæ Cæsaraugustæ. Nā quamuis alioqui fuerit grauissimus auctor, bis paucis verbis errauit in historię veritate. Nā Ecclesia Virginis del Pilar non est Monasteriū, & quamuis sit principalis Ecclesia Canonico-  
rum Regularium, multum tamen diuersa à Metropolitana, in qua ipse beatus Petrus Canonicus vixit, occubuit, & sepultus est, & multis miraculis viuus, & nunc mortuus floruit.*

METROPOLIS CÆSARAVGVSTA-  
na, Doct̃oris Vincentij Blasci.

**Q**uisquis ad hæc templi concurrat tecta micantis,  
Innixus precibus, præparat astra sibi.  
Sumit opes humilis, supplex subsellia diuûm,  
Deuotus grates, æthera moxq̃ feret.  
Hoc Rex Alfonsus magnus bellator, & armis  
Inclytus Augustum fecit, & auxit ouans.  
Captiuum spurco Maurorum felle piavit  
Ornans diuitijs culmine, dote, choro.  
Raymundus fratres intèr: primordia sedis,  
Sanctorum miro, & maximo honore beat.  
Post illum venitque puer, martyrque Domingus  
Qui templum vita, nomine, morte sacrat.  
Denique Mastrepila innumeris hæc tecta coruscans  
Miraculis ornat, sanguine, fine, nece.

EIVSDEM D. V. BLASCI, IN LAV-  
dem Metropolis Casaraugustanæ.

**S**i illius priscae memoretur machina molis,  
Si in mentem veniat Salomonis fabrica templi,  
Ars radijs fulget paribus: sed nostra vetustis  
Metropolis præstat templis, quàm stella coruscans  
Telluris

Telluris faculis ingenti lumine. Namque  
 Si quæ illic fuerant Mosis velamine ritus  
 Teçta prius : fulgore nouo reſerata videntur,  
 Tempore Chriſtiadum, quo lex, quo gratia regnat,  
 Et tenebras pellit, veteris contagia noxæ  
 Lumen in extinctum, cælos quod & æthera Chriſtus  
 Clarificat, noſtrisque Deus perſiſtit in aris,  
 Velatus ſpecie panis, viniq; figura.  
 Splenduit illa quidè̄m rutilo inter ſculpta metallo,  
 Fulget noſtra magis cæli dùm munera ſacri  
 Continet, & Chriſti corpus, cum ſanguine ſeruat.  
 Conſtitit illa vetus Salomonis fulta columnis  
 Nobilibus: ſed enim ruitura ſtructa ſub umbra  
 Floruit ad tempus. Duratura aula per æuum  
 Noſtra nitet; velut igniuoma ſub lampade ſolis  
 Irradiant ſtellæ; luna vel ſubdita fulgent  
 Dum capiunt lumen cæli Titanis & alti.  
 Hæc priſcis præſtant, quantum vincetur imago  
 A re cuius imago eſt. Quantum à corpore Chriſti  
 Manna datum patribus. Quantum res ipſa figuram  
 Excedit, fulgensque dies æſtina tenebras.  
 Magna ſalutiferi eſt noſtras hæc aula lauacri,  
 Qua potus, cibufq; ſacer, corpusq;, cruorq;  
 Offeritur domini, qua vel confefſio culpas,  
 Et maculas cordis delet, ſoluitq; reatus.

Reliquias diuûm Vincen i possidet, atque  
 Laurenti, ignis edax quos tollit ad astra beatos,  
 Martyrio tortos grandi, quos flamma tremendis  
 Ignibus exussit, tulit, & super æthera. Necnò  
 Pignora Valeri patris, puerique Domingui  
 Martyris, & Petri Arbuesi nunc corpora claudit.  
 Sed quis tantarum rerum cognomina verbis  
 Explicet? & valeat totidem describere partes  
 Metropolis nostræ? fulgens hîc promicat aurum,  
 Et nitet argentum, crocei vel magna metalli  
 Pondera resplendent. Multis conuexa feruntur  
 Turribus in cælum. Ramentis cuncta nitescunt  
 Auratis. Lapidés, postes, fastigia, turre,  
 Porticus, atque bases, laquearia, culmina, tigni,  
 Testudo, vectes, clauésque, repagula, portæ  
 Atria formosis pavimentis, tecta, lacunar,  
 Et reliquæ partes. Quas nunc numerare paratus  
 Obruor ingenti mole. Innumerata sub istis  
 Posteritas scriptis multis veneranda sequatur.

FINIS.

IOANNIS BERZO.  
SÆ CÆSARAVGVSTANI  
MARTYRIENCOMIVM, CVM ALIIS  
nonnullis, quæ omnia spectant ad laudem Ma-  
gistri Petri Arbuesij Epilensis: olim nostræ  
sedis, nunc cęlestis aulæ Canonici.



DOCTISSIMIS, ET  
RELIGIOSISSIMIS VIRIS  
DECANO, ET CAPITVLA-  
ribus Metropolis Cæsarau-  
gustanæ.

D. V. BLASCVS EIVSDEM ECCLE-  
siae Canonicus Pœnitentiarius. S. D.



*D*oannes Berçosa civis Cæsaraugustanus, & Poeta excellentissimus ante annos octuaginta quinque (clarissimi Patres) Encomium martyrij in laudem fratris nostri Petri Arbuesi, quem Iudæi inter chorũ, & altare huius Metropolis, atque in odium fidei interfecerant, heroico carmine (adhuc iuuenis) composuit. Hoc vero inuentum est, quo tempore, ipse de eodem argumento opus Peristephanon, seu de Coronis Sanctorũ Aragoniensium, vita, morte, & miraculis eiusdem Sancti concinnaueram. Quum autem istud, iam in lucem editum, vobis obtulerim, donauerimque, equum iudicauit Berçosæ Encomiũ, quod ipse maioribus nostris, Priori scilicet Canonicis, & Capitulo dicauerat, quàm castigatissimè à me nupèr impressum, mundoque, & vitæ restitutũ, & meis operibus adiungere, & glorioso nomini vestro, & patrocinio consecrare. VALET E.

Datum Cæsaraugustæ Idibus Sept. 1623.

# Religioso Canonicoꝝ Se- dis Cæsaraugustanæ coetui.

IOANNES BERÇOSA. S. P. D.



**B**ona si virtutis me vestræ fulgor reli-  
giosa cohors : nulli quæ hodie sub  
Christo militat religione inferior  
identidem deterruit, ne has lucu-  
bratiunculas nostras vobis nuncu-  
parem : tamen cum aut prorsus ni-  
hil esset scribendum, aut sub nominis vestri tute-  
la in publicum prodire oporteret, quicquid id es-  
set quod scriberemus (ad vos enim quod de huius  
martyris laudibus decantatur collegæ olim vestri  
vt eius exitus est te status sanctissimi, præcipuè spe-  
ctat) operæ duxi precium : hunc pudorem verius  
rusticum dixerim quam ingenuum excutere, atq;  
hoc opusculum vobis dedicare: quanquã nec eru-  
ditio, nec vlla virtus mea eiusmodi est, vt liberũ  
mihi esse putem his intempestiuis nugis obstre-  
pere: habetis igitur has cessationes nostras, etiam-  
si nõ infrugiferas nomini vestro inscriptas, vt eius  
authoritas mihi ab inuidia momorum suffrage-  
tur: scripserunt quidem alij de martyrij Enco-  
mio, inter quos beatus Cyprianus haud ignobilis  
martyr primum ( quod ego existimarim) obtinet  
locum: his tamen oleum & opera neutiquam pe-  
rijt: partim enim à Deo: partim ab hominibus:

pleriq; etiam à Deo & hominibus sui laboris præ-  
cium receperunt: ego vero præter Deum à quo  
nisi à vobis expectem non video. Quare viri reli-  
giolissimi nostro adeste labori, & vires dabit ipse  
fauor. Nanque ( vt inquit ille.)

*Abdita quid prodest generosi vena metalli:*

*Si cultore caret? quid inertis condita portu*

*Si ductoris eget ratis efficit?*

Efficietis profecto, vt qui nunc ineunte ætate hæc  
fatis magna mea sententia exhibemus: cum inge-  
nium iam longo post liminio ematuruerit, multo  
maiora exhibeamus. Quod non desperamus vos  
esse facturos, si vel minimam nostri animi in vos  
propensissimi rationem habueritis. Quod si hæc  
vna spes deccollarit, & vos in quibus ego sacram  
anchoram constitui in medio mari vela nostra de-  
feritis, non propterea tamen ad restim (quod aiunt)  
res nobis redibit: pietas siquidem qua hunc mar-  
tyrem prosequimur reliqua erit, magnum incita-  
mentum, & ad scribendum aculeus futura, cuius  
auspicijs hæc scriptis prodidimus: plura & maio-  
ra prodicuri, si vires animo responderint.

VALETE.

AVTHO-



# AUTHORIS AD SANCTUM PNEUMA INVOCATIO.

**S**piritus alme faue: paraclesim infundito nostris  
Mentibus, & lingue dirige verba mea.

Numineq; aspira sacro, & corporis ædem  
Sanctifica nostri: criminibusq; leua.

Carnales hebeta sensus, da mentis acumen:  
Et desiderijs imbue corda bonis.

Excute, quod spurcum est, & tota refulgeat intus:  
Ut sic cultoris digna sit ista domus.

Error abi procul hinc, & lingue cede disertæ:  
Cultore hoc nostræ non potes esse domi.

## MARTYRII ENCOMIUM.

**E**T si martyrij nimium venerabile nomen  
Spernere non equum est, nec in hoc trepidare favore  
Discendi, neque enim nihil hic dubitasse negabo:  
Sed tamen insedit quæ iam sententia menti

Vincit;

Vincit, & accendor referendæ laudis amore,  
 Et me virtutis (de qua mihi dicere mens est)  
 Efficit audacem decus, & calcaria iungit:  
 Meque loqui cogit de tantæ pondere molis.  
 Cumque tacere decens non sit: penitusq; pudendum  
 Sit dixisse nihil, tamen hæc res subuenit una:  
 Talia tentanti quod non timor offuit ullus:  
 Quominus ad finem cuperem deducere versum,  
 Sic igitur veniam laturum spero petitam,  
 Si quid in hoc curtum fuerit: curuumq; libello.  
 Cedant ergo animo vires in carmina parua,  
 Scribamusq; omni pulso de corde timore.  
 Nostrum oneret quamuis immensa potentia Christi  
 Ingenium, ut quo se referenda laude fatiget  
 Martyrij, magis hoc nimia suffocet id ipsum  
 Copia materiæ, fractum succumbat earum  
 De quibus hic agitur grauitate ac pondere rerum.  
 Laudis in eloquium quamuis sermonis apertum  
 Vim tantæ laxis nequicquam exprimat habenis:  
 At nonnulla tamen (nisi me sententia fallit)  
 In sermone fides erit, & reuerentia nostro,  
 Quæ munita vage diffundat versibus illud:  
 Quicquid materiæ ingenium commouerit impar.  
 Cumq; fatigetur truculentis orbis in undis,  
 Implicitiq; malis tantis nitamur ad omnes

Laudandum eximios nimium, pulchrosq; salutis  
 Proventus summa cura, studio, atque labore,  
 Hic ego cur demens extinguar territus? aut cur  
 A tam deuoto reuocer formidine capto?  
 In quo noster agit de vera sermo salute?  
 Quod si quanta mea est pietas consyderet, atq; id  
 De quo tractamus ludex examinet æquus,  
 Castigetq; rei directo examine pondus,  
 In quas laudis amor scribendæ obtruserit ingens  
 Confusi syrteis animi miretur, & unquam  
 Esse parem nostris cæptis me posse negabit.  
 Et quisnam est oro quem res non terreat ista?  
 Quem non ipsius subuertat ponderis horror?  
 Nanq; vel in tanto mentis miranda rubore est  
 Formido, quæ nos agitet, perturbet, & angat,  
 Cuius vim quanto pænitus perspexeris, ipso  
 Aspectu tanto venerandæ lucis odorem  
 Maiorem emittat, præclaro lumine mentem  
 Frangat, ut in medijs caliges luce diei.  
 Debemus siquidem tota perpendere mente,  
 Quanta sit haud unquam morituræ gloria vitæ,  
 Qua purgare licet spurci contagia mundi,  
 Augeri ut merces, & tolli crimina possint.  
 Hic vitæ status est, & consumatio nostræ.  
 Hic omnis mundi terror perit, atq; labores,

*Hicq̄ procellosæ pereunt discrimina vitæ.*

*Martyrium ærumnas, & cuncta pericula tollit:*

*Et nos æthereæ consortes efficit aulæ.*

*Hoc fundamentum fidei est, & grande salutis*

*Præsidium, & quamuis non una est semita tantum:*

*Tendere cælestem per quam possimus ad arcem,*

*At melius pænis multo comitantibus itur.*

*Excuiat quisquis, tacitoque in corde volutet:*

*Quam sit honorificum, tanto in discrimine nullos*

*Carnificis gladios, aut verbera sæua timere:*

*Quinimmo audaces animos, sensumq̄ tenacem:*

*In quo credatur mentem exhalare dolore:*

*Atque id in augmentum virtutis sumere, dirus*

*Vtile quod lanio tormentis cogitet esse.*

*Quid tam glorificum est? quid tam laudabile? quid tam*

*Acceptum Christo? aut maiori nomine dignum?*

*Quam cum tortoris crudi redeunte flagello*

*Corporis auulsa torti cum parte trahatur*

*Alterâ, quæ duris cruciatibus illa vellat:*

*Sanguinis & viuæ manent de corpore guttæ*

*Stet tamen immotus, pæna quoque fortior ipsa:*

*Hoc solum secum voluens, ac pectore versans,*

*Quod plus sit passus pro quo patiatur & ipse*

*Christus in horrendo pro nobis mortis agone.*

*Martyrium est finis delicti, meta laboris,*

Martyrium ad veram recto nos calle salutem  
 Ducit, & in pugna patientes præcipit esse.  
 Quo velea intereunt certè, quæ summa futuro  
 Censeri, tormenta queant discrimine, pœna  
 Martyrium nisi nos exutus redderet omni.  
 Tunc quod quisque gerat fidei cognoscitur omne  
 Robur, & ætherei quæ sit fiducia regni:  
 Venerit in linguam simul, atq; opprobria vulgi  
 Et cum sese animo stabili firmaverit inter  
 Insanum vulgus, conuincens, atq; repugnans:  
 Agrius atq; ferens quàm quæ fert vulnera Christi  
 Quicquid in irrisum iactarit sermo prophanus.  
 Ut cum ex aduerso feriant si littora fluctus  
 Mole reluctanti, reuolutum ferrea pulset  
 Saxa licet crebris undarum anfractibus æquor:  
 At pulsata tamen virtus immobilis hæret,  
 Nec cooperta cadit circumspumantibus undis.  
 Nanque quid est illis aliud? quàm prava voluptas  
 Verborum, sermo vacuus, pectusque caducum,  
 Quod quacunque ferit ventus, torquetur, inanis  
 Ut quæ huc ac illuc ventis agitatur arundo.  
 Atq; hæc dicta velim de se quicumq; reantur:  
 Dura quibus mens est semper, feritasque maligna  
 Pectoris à vero vitæ splendore fugata  
 Dissentit, cum fert furor, & dementia ducit.

O cæcas hominum mentes, o nescia veri  
 Pectora, & in tantis nimium obdurata tenebris.  
 Gloria martyrij cum totum illuminet orbem:  
 Temporis inq; illo cum sit spes tota futuri,  
 Odistis lucem paradisi oblita bonorum?  
 O infælices homines, quos gaudia mundi  
 Oblitos retinent mortis, quos nulla gehennæ  
 Tormenta, aut nulli terrent sine fine dolores.  
 Tantane vos huius tenet hic fiducia mundi?  
 Hanc ut nolitis vitam mutare perenni?  
 Ast in delitijs delectet degere more  
 Sardanapalitio, victuros vsque putatis?  
 Semper & in tanta vitiorum sorde futuros?  
 Anne hos cælesti fruituros creditis aula?  
 Qui cypriæ hoc seculo serui bacchiq; fuerunt,  
 Delitijs operam nauantes corporis omnem.  
 Quæ tanta est igitur quæ sic insania mentes  
 Ocupat? & cæli prohibet vos sede potiri?  
 An qui pro vobis miseranda morte profudit  
 Vitam, pro Christo corpus macerare timetis?  
 O quam res vestras male constituistis amici.  
 Nam dum curatis, ne sit miserabile corpus:  
 Redditis obstrictam mentem cum corpore morti.  
 Scilicet ex huius praua dulcedine mundi:  
 Nullus ad eternæ peruenit gaudia vite.

O quanto melius, qui mille laboribus, atque  
 Ærumnis cæli sedem peperere beatam.  
 Sed longè melius, qui cum sua vita sat esset,  
 Carnificis gladio crudelis colla dederunt.  
 Fecit ut hic martyr, cuius nos nomine tantum  
 Ausi opus hoc fuimus nostris iniungere nervis.  
 Quem cum pro vita cælestis vita maneret:  
 Pro Christo tandem madefecit sanguine terram,  
 Ut cruor in cælo meliorem ostenderet, & nos  
 Sanguine quem fudit morbo mundaret ab omni.  
 Tanta est martyrij preciosi gloria, quam nec  
 Concipere aut animo, aut verbis explere valemus.  
 Nam quid vel maius nobis, aut amplius unquam  
 Largiri potuit? quam nos quos morte redemit:  
 Pro se tantundem facturos esse docere.  
 Mortuus est, ut mens mortis foret inscia nostra.  
 Pertulit humanæ spaciū miserabile fortis,  
 Qui res humanas nutu regit, atque gubernat.  
 Ut quod sit passus, nobis sit reddere visus.  
 Martyrioq; datur clara confessio voce:  
 Cunctaque, que ad veram sint certa viatica vitam.  
 Cuius qui digni meruerunt esse, subactæ  
 Conditio his puchro mortis certamine victa est,  
 Et mundi demum caruerunt labe prophani.  
 Non etenim dubium est, animo quicumq; virili

Immensum ac semper Christi laudabile nomen  
 Non detrectarunt propriæ præferre salutis:  
 Quin his cum magno referatur fœnore merces.  
 Redditur integrior moriendo vita, diesque  
 Ponitur ante oculos expulsis clara tenebris,  
 Quæ nos ad vitam quasi per compendia ducat.  
 Ut ferro vitis quoties abscinditur, tua  
 Vestitur melius, tunc cum noua pampinus exit.  
 Talis est primo pro religione fideque  
 Martyrij casus, sequitur sed post modo fructus,  
 Qui fuso audacter condemnat sanguine vitam,  
 Ut subiens mortem, vitam custodiat ipsam.  
 O quam præclarum est, o quam sublime, tot inter  
 Carnificum instrumenta fidem seruare tenaci  
 Mente, nec in tanto quidquam dubitare periculo.  
 Quid tam magnanimum est? quid tam vel fortè, vel ingès?  
 Quam libertatis dominum, authoremque salutis  
 Inter carnificum tot circumstantia tela  
 Sæpius ex imo deducta pectore voce  
 Protestantem illi cum corpore dedere vitam.  
 Quod si tunc positus tanto in discrimine ponas  
 Ante tuos oculos, quam detestabile monstrum  
 Dedecus est, fœdum nil plus, nec vilius esse  
 Seruitio, tantis votis nihil esse petendum:  
 Optandumue tibi, quam sæcli cladibus huius



Ducendum, ac tantis spoliandum sordibus esse,  
 Nec iam casuri viuendum tempore longo  
 Inter tot casus, & tot discrimina mundi.  
 O quam presentes animos in praelia sumes.  
 Quid tibi cum seculo hoc? cui lux est pacta perennis.  
 Quidue iuuant huius tantum commertia vitæ?  
 Quem iam sublimis deposcit regia cæli.  
 Hos sine in obscæni sentina viuere mundi,  
 Quos nec amor Christi, pietas nec commouet ulla,  
 Vt tandem ex tanta vitiorum sorde resurgant.  
 Pæna mori quibus est, & vitæ magna libido.  
 Te Deus elegit, subitis vt casibus orbis  
 Ereptus martyr potuisses esse, viamq;  
 Iussit vt æthereas sic præmediteris ad oras,  
 Vt tuus egregium faciat te sanguis in illo  
 Iudicio, quo cuncta dabit Deus omnibus æqua  
 Lanæ, ubi pro meritis referentur præmia cuiq;  
 O quam lætus eris coram tot gentibus, omnis  
 Et labor, & curæ, dolor, atque pericula vitæ,  
 Vulneraq; in tergo pro Christo lata benigno  
 Non ingrata tibi conuersa in gaudia fient.  
 Miles ab aduerso, quoties redit hoste subactõ  
 Victor conspicuus, spolijs & clarus opimis  
 Quæ tulit in bello pugnando vulnera iactat,  
 Et fouet, & tractat, tractando gaudet, & ingens

Auctoramētum ducit, quod vicerit hostem.  
 Nauta procelloso iactatus in æquore, letus  
 Contigit ut primum fœlicia littora, ponti  
 Et decimos fluctus, & seua pericula narrat.  
 Gratus enim labor est, qui se discrimine cernit  
 Ereptum, cum nullus adest metus ante malorum.  
 Et quæ sit requies illo plus grata labore?  
 Per quem habeat lætum quæcunq; tragœdia finem,  
 Atque (quod est maius) per quem lux vera paretur.  
 Fortuna est igitur toleranda viriliter omnis,  
 Ut latum superas quod te deducit ad oras  
 Fiat iter, totiesque tibi potiare cupitis.  
 Et quisnam dubitet contra conatibus ire  
 Carnificum scuto fidei, galeaque salutis  
 Indutus? quin his victor clarissimus armis  
 Euadat, quisnam hoc scuto pugnare recuset?  
 Spicula quo lanij, durosque retorqueat ictus,  
 Et vanos faciat tenui cum flamine, quoque  
 Percussisse putet, iaculo feriatur ab illo.  
 Grande minas hominum decus, & constantia summa  
 Spernere, & excusso suspendere iurgia naso.  
 Sic qui destruxit belem, occiditq; draconem,  
 Et fremitus, rigidasque minas, rabiemque leonum,  
 Quæ non defecit, fidei constantia vicit:  
 Dum spernenda docet fallacis numina belis,

Atque

Atque Deum tota contendit mente colendum.  
 Sic qui in fornacem iussu sunt regis adacti  
 Ardentem pueri, retulerunt præmia factis  
 Digna suis, ignes dum sunt tolerare parati,  
 Crudelisq; prius quæuis tormenta camini,  
 Quam statuam edictum iuxta reuerenter adorent.  
 Sic ignis pereunt vires, sic flamma recedit,  
 Sic ope diuina intactos præteruolat illos,  
 Atq; in eos ipsos ingens violentia flammæ  
 Sæuitiam exagitat, viresque exuscitat ignis,  
 Qui nimium innocuis incendia tanta parabant,  
 Sic tormenta ferunt alijs qui inferre dolorque.  
 Iussa; crudelis cogebant seua tyranni.  
 Quinetiam pueris res est punitus in ipsis:  
 Dum flammam euadunt, & eos dum cernit inultos:  
 Quos absorbendos insano credidit igni  
 Hinc ego sat possum notis ostendere signis,  
 Quam non credibilis virtus concessa sit vni  
 Martyrio, ac rursus cruciatus quanta sequatur  
 Gloria, cum nec eos ignis violentia frangat,  
 Iurgia nec mentes subuertant vlla, nec ira  
 Carnificum, sed mens sufferre sit omnibus vna  
 Supplicia, atq; graues pænas, ignesque camini.  
 Quæ tanta in pueris fidei constantia fecit,  
 Vt nihil ijs læsis pænae pateretur id author,

Quo nimium indigne sententia dira iubebat  
 Torqueri, & flammis totos crudelibus uri.  
 Ergo martyrium cum sit sublime, superque.  
 Sydera conspicuum plusquam comprehendere vires  
 Humane valeant animo, nedum ipse referre  
 Versibus ingenij veræque expertibus artis.  
 Nunc opus est illo, cum iam subuertitur ipse  
 Mundus, & occulte concusso labitur orbe.  
 Prætereo quanta est (dictum quod oportuit esse)  
 Gloria ad aspectum Christi sine labe venire,  
 Atq; in perpetua semper regnare quiete:  
 Esseq; ab exitijs tutum nutantibus orbis.  
 Atq; hæc martyrio virtus est summa, quod hostis  
 Cogitur illius (sub quo tu præside pugnas)  
 Signa sequi, positis quibus in te venerat armis.  
 Constanti ergo fide, robusto pectore contra  
 Atroces sæcli fremitus: iramque sequentum  
 Pugnandum est, pavidam nec quicquam mente timendam.  
 Quod si te numi grandis congestus aceruus  
 Detinet, & sanctæ nimium contraria menti,  
 Expultrixq; boni ambitio vetat esse salutis  
 Consortem æternæ, verbum cælestem memento,  
 Quod sacro sanctus Matthæus concinit ore.  
 Quisquis in hoc animam pro me diffundere sæclo,  
 Et meus in pæna socius dignabitur esse:

Centupla cum magno referetur fœnore merces:  
 Seculaq; in cœlo regnabit in omnia fœlix.  
 Quid rogo iucundum magis est? quid dulcius illo?  
 Quod Deus, & dominus cum sit, mundiꝫ redemptor  
 Dat secum hæredes cœli regnare superne,  
 Qui se gesserunt pugna patienter in omni,  
 Seu qui iucunda vitæ vixere ruina,  
 Seu qui viuentes in mundi sordibus huius  
 Delitijs dixere vale: tenuemq; sequuti  
 Eius in hoc mundo viam viuentis ad astra  
 Munire viam, & fœdi caligine mundi  
 Subducti tandem tetigere cacumina cœli.  
 O grande, ac ingens, & inenarrabile munus,  
 Et quod contemplans horresco dicere, lingua  
 Mensq; labant grauitate rei, viresq; fatiscunt.  
 In nos ut largam se munificentia Christi,  
 Usque adeo exhibeat? tanto ut tueatur amore  
 Res nostras? ut quæ nobis optare fuisset  
 Grande nefas (tot sunt totus quibus orbis inundat  
 Criminibus) nunquam sperantibus offerat illa.  
 Sub duce quis tanto morti non obuius ibit  
 Miles? & oppetere hic multo quam viuere mallet?  
 Si quis dux, similis ve ducis fœlicior alter  
 Proposita pugnare tibi mercede iuberet:  
 Quem non ignoras tanto maiora daturum

Munera, quo melius bello te gesseris illo.

Non in degeneres rueres interritus hostes

Propositis maiora petens? tibi plurimus hostis

Terrorem incuteret? quin finem imponere bello

Et tandem egregia possis mercede potiri?

Nonne videretur stipula tibi vilior ipsa

Vita? reportares dum belli clara trophæa?

Degener ô miles, verique dignare quid hæres

Sub duce qui cælum nutu terramq; gubernat

Excusso de corde metu te credere pugna?

Qui non diuitias, nec mundi vana caduci

Imperia, ingentes nec opes (quæ ignara futuri

Mens hominum bona summa putat) promisit, at illam

In cælo secum vitam sine fine beatam.

Qua quid amabilius? cum qua quæ munera possunt

Conferri? ô forti duntaxat milite dignum

Munus, & immensi verique potentia Regis:

Ecquis ad hæc per iter non tendat præmia mortis

Miles? & expellat mundi morialis honores?

Ecquem viuendi teneat tam sæua cupido?

Nolit ut impositis caput exonerare tenebris?

Et proprias ire ad sedes? ubi lucida cæli

Templa manent alti requies ubi certa laborum:

Pax ubi securus est, stellis ubi florida regna.

Hic patria est, hic vera domus, verique penates.

Nanq;

Nanq; ærumnoso quo diuersamur in orbe  
 (Vmbra velut tenuis quæ induc̃ta nube recedit)  
 Vita abit, & certi præsens nil continet hora.  
 Nulla in eo requies toto est, pax nulla, sed usque  
 Assiduis agimur bellis, lassisq; senecta  
 Expulsis de sede litis orbem occupat ate.  
 Nec numerosa valent reparare incommoda, tantum  
 Destruit illa suis nimium pernicipibus alis.  
 Iurgia non paci? placide non bella quieti  
 Anteferes? nec tenuantis casibus orbis  
 Eripies? minimè reuens diffundere vitam  
 (Res ita si quando tulerit) macerare quod omni  
 Cogaris, & debes corpus pro præside mundi  
 Tempore, & in blanda inuitamenta malorum  
 Ire, nec istius sectari gaudia mundi,  
 Quo te uno vitæ potes insinuare perenni.  
 Sed tamen ô quanto per mortem gloria cæli  
 Efficitur maior, quanta bipotentibus illam  
 Lætitia foribus subliment intratur in aulam.  
 Et quid ferre potes? quod non sit passus & ille  
 Immenso rectore satus stellantis olympi?  
 Angeris ærumnis? ærumnas pertulit omnes:  
 In te v&sanus populus conuitia iactat?  
 Ludit, & insultat? sequeris vestigia Christi:  
 Qui miserabiliter populo insultante per urbem

Ad graue supplicium ridendo inductus amictu  
 Est tractus, pœnaq; reos dissoluit ab omni  
 Morte sua, & nostræ miseratus sortis, olympo  
 Effecit dignos, eiusq; in sede locauit.  
 Ergo si sit opus tam magni exempla sequutus  
 Authoris multo cum sanguine perdere vitam  
 Nemo reluctetur, fideiq; occurrat in armis.  
 Quam sit dulce mori, contra quam viuere fœdum,  
 Qui cupit ætherei de pasci lumine regni,  
 Quique elargitis dignus desyderat esse.  
 Martyrij tetigi laudes, mea musa cucurrit  
 Optatum per iter, nec cursum tarda peregit.  
 At voluisse tamen satis est, non carmina iactò,  
 Quæ quamuis uno non sint tibiicine fulta,  
 Vix sufferre valent tantarum pondera rerum.  
 Quod si forte aliquid summo libauimus ore  
 Laudibus ex tantis, & in his sanctissime quicquam.  
 Martyr ope, auxilioque tuo promouimus ultra,  
 In mare ne quicquam latum deueximus undas.  
 Nanq; prius cursu leporem testudo præibit:  
 Cantandoque prius præuertet achantida cornix,  
 Et pars in tenebris mundi versabitur omnis  
 Cimmerijs Christi ritumque oblita sacrorum,  
 Quam non martyrij fuerit laudabile nomen.

¶ Encomij martyrij finis.



EPI TAPHIVM  
MAGISTRI PETRI  
ARBUESII.

**H**ic infraeta iacet fidei pars maxima nostræ:  
 Arbuesi hæc etenim marmora corpus habent.  
 Marmora corpus habent, ceperunt sydera mentem:  
 Hæc spolijs gaudent, nec minus illa suis.  
 Hic est, qui mentes hominum curabat, & ullo  
 Tempore non auctam non tulit esse fidem.  
 Hic est, qui recto ducebat limite, sancta  
 Qui declinabant à pietate Dei.  
 Hic est, qui fuso pro Christo sanguine tales  
 Debere exemplo nos docet esse suo.  
 Propter quæ fælix cæli nunc insidet aula,  
 Sic est in cælum premeditatus iter.  
 Hoc est, cur sanet, quem non podalirius olim  
 Nec vi sanasset fictus apollo sua.  
 Nanq; hic incerta multi dubiasque salute  
 A non credendo conualuere malo.  
 Queq; diu fuerant dissuta coire videmus:  
 Inque suum & proprium membra redire locum.  
 Hæc pius erga homines terris miracula monstrat:  
 Vitæ (me Christo) signa decora suæ.

Ergo

*Ergo cui puppis vento torquente dehiscit,  
 Ad tam præsentem carbasa tendat opem.  
 Nec dubitet quamuis omni compage soluta,  
 Quin capiat vires fessa carina suas.  
 Et tu cui recto tribuit Deus omnia talo,  
 Corporis & gaudes integritate tui.  
 Non minu hunc sanctum supplex & pronus adora,  
 Pectora ut in sano corpore sana geras.  
 Nanq; apud immensum Christum tua vota capeffet,  
 Tu modo constanti sis stabiliq; fide.*

**¶ QVOMODO SIT AD HVNC**  
 Martyrem accedendum, & eius auxilium  
 implorandum, exemplo cuius-  
 dam matronæ graui afflictæ  
 morbo.

**A** Edibus ito procul medicorum copia nostris,  
 Iam satis à vobis iudificata fui.  
 Quippe meo vestra est minor experientia morbo,  
 Hunc ars Arbuesi tollere sola potest.  
 Ille potest paruo, quicquid vos tempore longo  
 Nil profectura non potuistis ope.  
 Ille dare huic requiem potis est finemque labori,  
 Deq; thoro imposita membra leuare manu.

Suscipit hic etenim nullum pia cura magistri,  
De cælo lapsa quin medicetur ope.

Ergo fatigato languentia corpore membra  
Qui leuat alterius, nostra leuare potest.

Tot sunt, quos sanat, quod si describere coner,  
Sub cælo quot sunt dicere coner aues.

Coner & in summo latitantes æquore pisces  
Et quot sunt flores vere referre nouo.

Et quot apes pratis rosei pascantur hymetti,  
Et quot hyperboreus tigridas axis habet.

Deniq; quod vasti nequisset machina mundi,  
Diuina exiguo tempore præstat ope.

Hoc ego cum videam, mihi non despero salutem  
Venturam sancti de bonitate viri.

Et spero, & veniet, tanta est clementia, quemquam  
Desertum auxilio ne velit esse suo.

Spemq; fides sequitur, sine qua sperare salutem.  
Sit sine remigio linteæ secare fretum.

His me cum videas munitam orare salutem,  
Fundere & ad tumulum vota, precesq; tuum:

Silicet, ut saner, faueant tua numina nobis,  
Daq; salutiferas ad mea vota manus.

Si tamen in fatis est occubuisse, meæque  
Truncarunt vitæ stamina pulla deæ

Sancte tuis precibus ( cuius dignissimus ipse es)

*Ætherea nobis detur in arce locus.*

*Disce meo exemplo, quicumq; hæc marmora lustras:*

*Vt tibi sint comites spesq; fidesque tuæ.*

*Scilicet ut speres portu te posse potiri,*

*Omniaque in rectum restituenda locum:*

*Et nisi prima fides præcedat verba precesque.*

*Quod super impones protinus omne ruet.*

*His tua si remis fuerit suffulta carina:*

*Iussaque ( quæ coluit ) si colis ipse Dei:*

*Non dubita huic lacera pelago te credere naui:*

*Optata toties quin potiaris ope.*

FINIS.

## IOANNIS BERZOSÆ

Encomij Martyrij Iacobi de Guete

Encomium.

**Q**uis stupeat tormenta ferū truculenta Neronū?

Quis Daciane ferox ad tua verba cadet?

Bethlemios: ô tu, tenero qui sanguine campos

Fudisti infantum cuspide sæue truci:

Valeriane, vel ô reliqui, sæuissima Christi

Carnificina: canes quos peperere truces.

Quis dehinc ( Berçosæ docti si encomia voluat

Martyrij ) trepidet spicula vestra rudis?  
 Horrida verba, minæ toruæ, gladijque tyranni  
 Ponderis in quenquam sunt, habitura nihil.  
 Nil neruus, crates, craticula, fuscina, flamma,  
 Lamina, nil fustes, unguia, centra, cruces:  
 Scorpio plumbatus nil, nil suspendia, pecten,  
 Nil rota, nil luxans articulosque fides.  
 Ferrea nil forpex, uncus, discerptio, prælum;  
 Ascia, nilque cyphon, serra, colusque nihil.  
 Culeus, aut ichrion, clauus, nil suppliciorum,  
 Impia carnificum quod meditata cohors.  
 Te duce Christicolis mens imperterrita perstat  
 O BERZOSA: recens urbis & orbis honor.  
 Perge igitur iuuenis iuuenum clarissime, perge,  
 Qualia fila tenes, talia pensa trahas.

¶ Laus patri, & charo cum sancto pneumate nato:  
 Quis communis honor, gloria, & imperium.



**Celeberrimo Doctōri Vin-**  
centio Blasco Cæsaraugustanæ Metro-  
polis Canonico Pœnitentiario, sancti  
Officij Consultori Theologo, &  
Hospitalis Regij, & generalis  
moderatori.

*Don Iacobus Aznarez Iuris Ciuilibis Doctōr, & libe-*  
*ralium Artium Magister.*

*S. P. D.*

**Q**Vam iucundum, & gratum mihi fuerit, &  
quã magni faciã (Doct̃issimè Blasce) quod  
opus Peristephanon, seu de Coronis Sanctorũ,  
Heroico & sublimi carmine à te decantatũ ante  
quam prælo mandaretur, mihi legendum propo-  
sueris, non est vt paucis explicem. Cum enim  
meæ facultates ita sint pertenuēs, & ingenium  
imbecille, ea quæ à tanto viro omnigena erudi-  
tione clarissimo, & in scribendo iam pridẽ ver-  
fato, ad docendum me potius, quam aliam ob-  
causam mihi oblata fuisse iudicaui. Quod vt cum  
que fuerit factum, non vulgaris gratiæ locũ apud  
me obtinebit, sed inter maxima beneficia nume-  
rabitur

rabitur collocabiturq; semper. Et vero incredi-  
 bili gaudio, magnaq; vtilitate legi, & perlegi  
 opus summa elegantia constructum, & admira-  
 bili doctrina præditum, & quod breuitatem (quæ  
 teste Demostene difficilima res est) claritati, do-  
 ctrinæ, grauisimisque sententijs iunxisse, sanctorum  
 Aragoniensium gesta, à vetustatis caligine, &  
 summa fere omnium nationum obliuione vindi-  
 casse videatur. De omnibus autem operibus tuis  
 sic sentio, vt in bonum reipublicæ, & in illius vti-  
 litatem, (si aliquid meis votis apud te proficere  
 possum) in lucem sint proditura; ea præsertim  
 quæ de historijs Aragoniæ ab eius primordijs  
 summa eruditione Latine habes concinata. Ne  
 res nostræ quibus ab externis nationibus neque  
 excellentiores, neque pares factæ sunt, ab eisdem  
 propter Latinorum scriptorum inopiam igno-  
 rentur, aut vnius prouincię terminis illarum noti-  
 tia circumclusa delitescat. Fac igitur vir eruditif-  
 simè, vt quam cito potueris, lucem videant, & cõ-  
 muni Doctorum voto hoc desiderantium animum  
 applica, meque tibi beneuolentissimum apud Deum  
 precibus adiuua. Vale Celtiberiæ decus, scien-  
 tiarum ornamentum. Cæsaraugustæ duodeci-  
 mo Calendas Octobris anni 1623.



CVM LICENTIA,  
Cæsaravgustæ, Apud Ioannem à Lanaja &  
Quartanet Regni Aragonum & Vniuer-  
sitatis Typographum.

---

ANNO M. DC. XXIII.



con estos nombres la llamavan.  
Quando los Pobres la encontravan, à vezes la decian, Soror Maria Socorro que padecemos. Buscandola en su retiro preguntavan por la Beata del Socorro. Hablando de la Santa en su ausencia, la señalavan por el apellido del Socorro. Este adquirido, y merecido renombre del Socorro le quedò hereditario vinculo. Por el fue en adelante mas conocida, que antes lo avia sido por el Augusto de Cervellon. Todos à gritos la llamavan Soror Maria del Socorro, ò la Madre Beata del Socorro.

Esta publica vniforme aclamacion en voces de alabanças testi-

mencias, sus misericordias sus socoros. Ay otra igual alabança! de vn glorioso nombre merecido es la suprema.

ELOGIO DE ZIMOTERCI

MILAGROS CELEBRES

*ilustran sus socorros.*



Es la Santidad con frecuencia infalible milagros; ni à los milagros los infiere infaliblemente la Santidad. Milagros se vieron sin Santidad, y Santidad admirò al mundo sin milagros. Bien que no les niego el sumo y sumo credito, que comun

. Los acompañava el mas creci-  
caval de su fervorosa oracion.  
tregada toda en la contempla-  
on se abrafaba el coracon en  
uella dulce hoguera de la ca-  
lad divina. Toda fervores, y  
oritu recibia singularisimos  
viores, y regalos del Señor.  
anle frequentes los raptos. Or-  
nariamente quedava fuera de si  
r grande espacio. A donde le  
gia alguna devota confidera-  
on, alli se arrobava sin poderlo  
sistir. Y à sucedia ir à maytines  
media noche, y en ellos quedar  
elevada en profundo extasi  
sta la mañana.  
Con estos divinos socorros a-  
dava à la Religion, favorecia

gãdo y à los Menesteros à pedirle  
de justicia el censo de sus miseri-  
cordias.

Si en alguna repentina virgen-  
cia faltavan efectos à sus manos  
para subidio de alguna indigen-  
cia, hazia de su lengua manos ri-  
cas para el socorro. El remedio  
de sus santisimas palabras. Su-  
plia con superabũdancia la esca-  
sez de los viles. Aun socoriendo  
sus manos fue el consuelo de su  
lengua la mas bien recibida li-  
mosna. Reynava la ley de la cle-  
mencia en su lengua. Presidia la  
ley de la limosna en la lengua  
desta regalada Esposa, desta Mu-  
ger fuerte. De aquella de los pro-  
verbios y à lo glosava asì la Biblia

mayor es a tribu-  
res mayor el merito en quien  
ompadecer, y la alivia. Ambos  
ios pide Dios, afeeto en la co-  
eracion, y efecto en el reme-  
. Para vno, y otro le abrio ca-  
nos acomodados la provida  
nencia del Señor. Dava su ha-  
nda. Entregava el valor de las  
ores del Beaterio. Agenciava  
as grueltas limosnas. Distribuia  
os copiosos efectos en subsi-  
de quantas necesidades des-  
pria su caridad. Aplicava la  
ncipal suma al rescate de Cau-  
os. La mayor miseria es Acre-  
ora del mayor socorro.

A estos efectos sobreponia el  
cto de su voluntad. Añadia

a los Cautivos, asistia a los Ca-  
dres Redentores, facilitava la ven-  
ta de los Esclavos. La oracion to-  
do lo allana. Mas poderosa es su  
negociacion, q̄ toda humana dili-  
gencia. Desta verdad satisfecha, y  
nada de sus merecimientos ofre-  
cia tambien todos los ejercicios  
santos de la comunidad en alivio  
de Cautivos, y en socorro de ro-  
das las otras necesidades. Segu-  
rísima confidente de affigidoser  
la caridad de Maria el despacho  
vniuersal de los comunes socor-  
ros. Al confistorio de sus clemē-  
cias subian los memoriales de to-  
dos los atribulados. Su antiguo  
costumbre de favorecer lo con-  
bieron las gentes ley de clemen-

Regia.


Este continuado empleo de piedades, esta perenizada tarea de clemencias, tanta generalidad de socorros hizieron à sus misericordias de nombre. Al sagrado nombre de Maria le sobrepusieron el gloriosísimo, y el mas honroso apellido del Socorro. Todos à vna voz la llamavan, la Beata del Socorro, ò Maria del Socorro, ( En Idioma Catalan, Socòs ) vnos agradecidos à sus favores; otros esperandolos con ciertas confianças; los demás rendidos, y aficionados al noble imperio de sus caridades protestandoles vidos respetos.

Caminando por las

monia, y califica por divina posición deste renombre. La riguedad la venero por Oracu Porque concordar con la voz blica en el credito, y aplauso instinto de superior nomen. Y gumento es insuperable, de dudas no admite lo que voz sin contradicion la fama. Voz de Dios la voz del Pueblo. Q honra, que credito, que glo igual à la desta Virgen? A Sorria del Socorro quantos la no bran la alaban. Sus piedades dieron nombre. Engrandecer quantos la llaman. Nadie puede pronunciar las silabas, que la vocan, que no en bal pangeirize sob



1027600  
S.7993





28

III

699

88

s. 7641

Aragón

2-5-24

III